


PETRI MANCIBO, CIVITATIS DE SAN
LVCAR DE BARRAMEDA DOCTORIS VALEN-
tini. De essentia, signis, causis, prognostico, & curatione
Anginae, vulgo Garrotillo, breuis tractatus.

Ad Excellentissimum Ducem Metinae Sidoniae, &c.



Hispani, apud Ildefonsum Rodriguez Gamarra. Anno 1618.

APPROBATIO.



VIDI, atq; atēto animo perlegi hunc nō minus breuem, quam vtilē tractatū circa essentiā, causas, signa, prognosim, & curationē phlegmonis gutturis, & faucium cū vlcere maligno (vulgō *garrotillo*) ab erudito Doctore Petro Mancebo elaboratū; nec nō mihi cōmissum est decreto D. D. Gundiçali de Cāpo, Vicarij, ac Prouisoris Hispaleñ. diœcesis, &c. in quo author omnia, quæ ad rem medicam pertinent, accuta sui ingenij acie, doctrinæ claritate, miro rerū ordine, atq; maturo consilio ita agit, vt ipsi potius senis, quam Iubenis cognomen posse adaptari mihi videatur. Quare illum iudico medicinæ studiosis maximū emolumentum allaturum, perindeq; dignissimum vt typis mandetur, & in lucem edatur. Data Hispali 18. Kalendas Decembris Anno Domini 1617.

*Doctor Franciscus Ximenius Guillen,
Medicus Hispaleñ.*

CLA.

CLARISSIMO; EX-
CELLENTISSIMO, POTENTISSIMO:
q; Principi D. Emanueli Perez de Guzman el Bueno,
Metinæ Sidoniæ Duci, Comiti de Nebula, Marchioni
de Caçaça, Beleris aurei equiti meritissimo, maris
Occeani Generali, Belliq; Senatam Regis
Catholici Confiliario. Doctoz
Petrus Mancebo cliens
eius indignus.
S. P. F. P.

TIBENS sanè nouus tuæ familiæ Cliens no-
uos ingenij, & studiorum foetus, quos in ætate
iuuenili edidi, summoq; labore nutribi, tibi
Princeps Excellentissime consecro, eorumq; frontē
nominis tui splēdore illustro; multa me ad hoc impel-
lunt, dignitas, & amplitudo tua, æthereum ingenium,
ipsum denique operis argumentum: quem enim digni-
tas tua, & gentis splendor non illustrauit; cum Metinæ
Sidoniæ Dux primus Hispaniarum Ducuum, non so-
lum existas, sed tu virtute, ac meritis primus inter eos
emineas, atq; adeo, vt si à summo Hispaniæ capite po-
tentiam, & splendorem spectem, proximum te dixe-
rim, aut secundū. Nulla namq; in orbe Hispano imò
& extero familia est, quæ vobis vetustatæ, aut generis
præstantia, & amplitudine se præferat. Guzmanorum
enim, seu Guotmanorum vt (alij) genus in Bretania

prius ortum, deinde ab illius Prouinciæ inclyti Ducis Germano fratre à mille, & amplius ad nostram ætatē annis in Hispaniam translatum egregijs bello, paceq; præclarè gestis, mirum immodum floruit. Inter quos Metinæ Principes primatum nō immerito tenent; quorum plures vitam, & sanguinem pro religione Regibusque suis validissimis viribus, animoq; inuicto profuderunt. Quid de prudentia dicam, qua Beticæ oræ gubernacula tractas. Quid de fortitudine qua cum ex tuis paucissimis Mahometanorum Trirremē ad ortus cæpisti. Quid de illa ingenij acie, quæ in te biget acutissima, quem omnes ingenio prædicti, vel vt aram quandam, & oraculum suspiciunt. Ista sunt Princeps Excellentissime dignitate tua, maiorumque splendore, ista de tuo acri ingenio, quæ me incitarūt: sed & operis argumentū dupliciter tibi conuenit, siue quia æthereum ingenium tuum legendi varietate delectatur: siue quia Excellentissimi parentes tui omnium gentiū linguis decorandi, venenoso illo lethiferoque morbo, quem vulgo *Garrotillo*, Latini Anginam, ab angendo appellant, ex hoc misero vitæ curriculo migrarunt ad superos. Quapropter cum multos esse videam ea esse, vel natura, vel improbitate potius, vt carpenti magis, quam proficiendi studio (si quid in lucem foetu recenti prodierit) euoluant; & venenatos sui libores dentes infigant. Hoc hominum genus sanè formidandum, eorumque dentes, & latratus aliquo monumento declinare constitui. Eliæ Profetæ Iesabelis rabiem per vastas, &

stas, & incultas solitudines fugientis exemplum secutus, qui sub quadam Iuniperi umbra confedit, non ut lateret, sed ut à venenatorum serpentiu morsibus (quibus ille tractatus abundat) Iuniperi umbram abhorrentium tutus conquiesceret. Ad tuam vnus umbrã cõfugiens, qui mihi quasi Iuniperus refugium præstes, non ut me vanitatis floribus, quibus Iuniperus caret obumbres, sed tuarum virtutum odore fragantissimo reficias; & contra Momorum calumnias communias. Quod si qua soles humanitate feceris, spero fore, ut opusculum hoc, ex doctorum Medicorum tamen penetralibus dicerptum, quamuis inter nebulonum istorum fluctus agitetur, tui patrocini tridente ad securũ Portum appellet, meque tum Clientem ad maiora opera ædenda instiges: Deo namque anuente opus alterum (de symptomata, & morbo) sub tuo fœlice nomine, & auspicio apparebit. Si ille volet qui super nos vult, & potest, qui te Princeps Excellentissime religioni, patriæ, nobisque tuis subditis, & clientibus diu seruet. V A L E.

Doctor Petrus Mancebo.



A D

AD LECTOREM.

V M lector optime medicæ facultatis studiū in tanta nostrorū corporū imbecillitate, adeò humana vitæ necessariū, ac vtile sit: vt omnia quæ sub cœlo sunt homini obnoxia, nempe mens, ratio, consilium, facultates, opes, ædes sumptuosæ, corporis denique ornatus & cultus, sine corporis valetudine infrugifera planè, & infructuosæ esse videantur. Non possum nō; magnopere dolere, nostrorum temporū calamitosam, & miseram conditionē: quibus Idiote quidā homines Tonsores, & in eruditi chyrurgi, ineptæq; etiā (pro dolor) fœminæ, medicorū nomē vsurpēt, ac sine vllō discrimine quorū cūque morborū curationē suscipiāt, quorū notitiā vix illi, qui per summos labores assiduasq; vigilias sunt in Apolloniæ facultatis studijs summa, cū laude versati in tātis huius disciplinae tenebris cōsequi possunt, quod cū in animo sepè agitarē prospicerēq; , quā perniciosus noxiusq; sit morbus iste (ne dicā pestē) quē nostrates (Garrotillo) vocant, & quot præterea omnis sexus, & ætatis hoc morbo affectos mors ipsa rapuerit: mecum rationē inire capi, quomodo huic tātō tāque periculoso malo remedijs aliquid afferre possem, at in tanta hæsitatione, nullū aliud vtilius prorsus, & præsentius, quā illius exactā curationē, & notitiā in vulgus breuiter emittere: quare lector cādide hoc tibi breuissimū, & vtilissimū opusculū cōmuni potius vtilitati, quā inani gloriæ meæ consulens, ante oculos propono. Ex cuius lectione te nō parum commodi, & fructus percepturū spero; quod si vt opto, lata frōte accipias, meis vigilijs, & studijs gratulabor, meque adiuxta, & maiora opera concitabis. Vale.

LICENCIA.



L L I C E N-
ciado don Gõçalo
de Campo, Arce-
diano de Niebla, y
Canonigo, Proui-
sor, e Vicario general de Seuilla,
y su Arçobispado. Doy licēcia a
qualquier inpressor desta ciudad
para q̄ pueda imprimir este libro
de medicina, cõpuesto por el Do-
tor Pedro Mancebo medico, sin
por ello incurrir en pena alguna.
En Seuilla en 20. de Nouiēbre
de 1617.

*Licenciado don Gonçalo
de Campo.*

Andres Diez N. S.

L I C E N T I A T V S

Ioannes de Sotomaior Astæ hu-
manarum literarum Pro-
fessor, in laudem
authoris.

Propriam reseras seui medicamina morbi
Pandis, & ingenij stemmata vera tui,
Æternum Mancebe paras nunc inclyte nomen
Astæ, quod insignis tollet ad astra Poli.
Non tantum valuit Chiron celeberrimus olim,
Quanta tu nostro tempore laude viges.
Auxilium Thelephus hastæ vitaret Achilis,
Si tunc te nossent secula prisca virum.
Adq; Philotetes mortali vulnere tactus,
Forte salutifera viueret arte tua.

S ALIVD EIVSDEM IN OPERIS
commendationem ad Lectorem.

HOC opus ad laudes cunctorum guttura pandet,
Gutturum dum pestis torque at ista virum.
Quod lesum guttur salubri medicamine curat
Actanti causas proferat inde mali.
Sic cupias argutum lector habere libellum
Hunc queras pretio venditur iste leui.

CAP. Primum, de inflammatione gutturis, essentialiaq; anginae.



VLTI ENIM PERITI varia volumina de hoc affectu scripsere signa suggererunt eruditionis instituentes, explanantesq; varias autorum sententias. Et non miror omnes aduersus ini-

micum magnū sicut reperitur in angina vi, & ferro pugnatōres esse. Sed miror equidem viros doctos in suis opusculis, & praeipue cum materia circa quam versatur parua sit solum existimare in animumq; habere infinitū numerum foliorum augificari. Sic enim cū prolixitatem largitatemq; scribentium animaduertērem, & quia in infinitis partibus rationē nudam relinquunt auctoritates Galeni, Hippocrates, & aliorum tantum citantes, & non naturam ac sensum perfectū explanantes. Et quia frequenter apud eos vidi tam in natura, & differentia huius aegritudinis, quam in curatione multa veritati aduersantia, sensuiq;

De essentia angina,

ligitimo. Et præcipuè in curatione, quod magni momenti est propter quod non superbe in animũ induxi hoc opusculũ in lucẽ edere, quo breuiter quidditatẽ huius affectus tradã, magis desiderans publicam vtilitatem quam laborem meum ostendere.

¶ In primis à definitione incipio, nam ex Galeno lib. 11. metho. ca. 5. ad perfectam cuiusque rei diuisionem necessè est rei, quæ diuiditur essentiam, atq; naturam intelligere, quod definitione potissimum explicatur.

Definitio
angina.

¶ Est namq; angina à Galeno libro Issagogicorum circa ceruicem inflammatio: ab Auicena nona tertij cap. 8. Est apostema in gutture anhelitum, vel diglutionem, vel vtrumq; impediens. A Paulo lib. 3. cap. 27. angina musculorum interiorum faucium inflàmatio est, à Galeno 4. de loc. affect. cap. 4. angina nil aliud est, quam spirandi difficultas nullo existente vitio, nec in pectore, nec in pulmone, quod fit propter magnam inflammationem ob quã fauces solent affici. Quæ affectio à Græcis Sinãche, à Latinis Angina, à Barbaris verò Schimantia, aut Squilëtia vocatur, à nostris enim Garrotillo: angina dicitur ab angèdo, eò quod multum angit. Est enim in ea maxima respirationis difficultas, & Hip
pocrat.

Anginã no
mina diuer
sa.

poterat. homines anginosos appellat eos, qui
 difficulter respirant, vt Galenus refert 4. de
 loc. affect. cap. 4.

¶ Fit enim in angina respirationis difficul-
 tas propter inflammationem in laringe, aut
 faucibus existentem, aut ob laringis compre-
 sionem, aut luxationem secundæ vertebræ
 cervicis factam, qua aer liberè non potest in
 respiratione permeare.

¶ Aliquis obijcere potest quomodo in an- *Obiectio.*

gina vox, & respiratio leđitur, ex Galeno sine
 lesione pectoris, & pulmonis cū respirationis
 sint instrumēta. Respōdetur, Multa respira-

tionis instrumēta esse vt pulmo, thorax, sep- *Solutio.*
 tum transversum, aspera arteria, & aliæ par-
 tes vsum præbentes. Quod constat ex Galeno

4. de loc. affect. cap. 5. dicente *Cum itaq; multa sint*
spirandi instrumenta, &c. Ergò si reperiuntur mul-

ta instrumēta aliquod ex his affici potest ma-
 nente salvo pectore, & pulmone, & strangu-
 lationem euenire ex Galeno 4. apho. cōmen.

34. quæ nil aliud est, quam interitus subitus *Quid strangu-*
 propter defectum respirationis, qui fit ex an- *gulatio.*
 gustia alicuius instrumenti ex his, quæ respi-
 ratione obseruiunt.

¶ Strāgulatio enim tripliciter dicitur, vel
 propter imbecilitatem illius potentia, quæ

De essentia anginae,

mouet thoracem, vel ob vehementem frigiditatem, vel propter angustiam, at verò cum in angina inflammatio sit, strangulationem causat ob inflammationem asperam arteriam molestantem, aut caput eius. Quod Galenus cõment. apho. citati, summum guttur appellat. Quæ etiam inflãmatio fieri solet in præiacente spatio, quod fauces appellant, & impedire transitum aeris inspirati, & spirituum ob trachiaë arteriaë angustiam, idest, asperæ; nam aspera arteria trachia dicitur, non quod ab ea sanguis arterialis contineatur, vt aliqui inconsiderati existimauere, nam sanguine ex pers est, quia per eam tantum aer inspiratus, & spiritus defertur, vt Galenus docet lib. 7. de vsu partium cap. 3.

¶ Est namq; angina morbus primo, & per se actionem lædens, nõ vnã, nisi multas, nam ab ea respiratio, deglutio, locutioq; læditur. At hic affectus non tãtum acutus dicitur, sed peracutus, & exactè: nam quarto die ob suam acuitatem, acrimoniam, & velocitatem terminatur: vt Galenus demonstrat. lib. 1. aphor. cõment. 12. his verbis; *Morbus enim lateralis, & qui peripneumonia, & qui phrenitis à Grecis nominatur morbi acuti sunt: angina autem colera, & distentio nerborum peracuti, &c.* Est enim hæc affectio

affectio composita ex in temperie, & tumoris magnitudine, & sic morbum in magnitudine aucta appello. Et cum sit præternaturam tumor eum ad erisipellatè redigo á quo maiori ex parte molestatur, ex doctrina Hippocrat. á Galeno tradidit 4. de loc. affect. cap. 4. sic asserete; *Sed tum præcipuè malum prolongatur, cum non solùm fauces, sed ceruicem quoq; rubor occupat, maximè verò ab ea secunda valetudo contingere si rubor simul, & ceruicem, & pectus cõprehendat, neq; ad interna reuertatur erisipellas.* Et ipse met Galenus in com. men. 3. prognosti. sententia. 20. sic ait; *Hæc fluxio magna ex parte biliosior est ita, ut perspicuum sacrum ignem, aut inflammationem sacro igni similitorem committat.*

¶ Satis manifestum est hunc morbum epidemium esse, aut communem, nam morbus communis ille dicitur, qui vnus existēs multos afficit, & experientia demõstrat anginam sic se habere. Rursus communis dupliciter dicitur vnus eudemus, alter vero epidemus, seu epidemius. Morbus eudemus dicitur, qui in vnica tantum regione, aut patria diuagari solet. Epidemus, qui non in vnica regione, sed in multis, vnus existēs multos afficere solet. Et si ab hoc affectu in multis regionibus multos vitam cum morte cõmutare videamus,

De essentia angina,

Quid pestis. pestis dicitur. Nam nil aliud est pestis, quam epidemia pernitiōsa, de cuius differentijs Hippocrat. in lib. epide. disputat. Anginam enim sub istis cōprehēdo, nā ex tali affectione infinitos in vnica regione, & regno affici vidi, & curavi, vt in Murcia, Carthagenæ diœcesis, & in diuersis ipsius locis regni, vt in Almāsa, & San Clemēte, in quibus fuit pernitiōsa epidemia, naturam pestis seruens. Porrō semper morbus hic, qui apud vulgum *Garrotillo* appellatur, secum cōtagium portat: quod simul cum experientia ipsius affectionis natura demōstrat. Nam ex affectione vnus illi, qui cū patienti societatem faciunt maximè afficiuntur: quòd euenit ex iacētis communicatione, ipsiusq; respiratione, & maxime quando habitus corporis eorum sanitate fruētium ad illam alterationem accipiendam sunt dispositi. Qua de causa cōstanter affirmo contagiū habere, non tamen pestilētem, nam si hoc ita esset omnes cū sanitatis desperatione sequeretur perire: & ex Hippocr. aliquid diuinum haberet.

¶ Deniq; tam magnus morbus est, vt eum sub tribus differentijs magnorum collocare existimo: est enim magnus, qui à Hippocr. epid. part. 3. comment. 3. Magnus morbus à Galeno dicitur,

citur, ex quo magnum imminet periculum, *Quid mor-*
 sed ab hoc affectu anginoso hoc imminet, *bus magnus*
 ergo est magnus, & accutus. Quod sit accutus
 satis ex Galeno ostensum est: nam si accutus
 morbus dicitur ille, qui cito cum vehementia *Quid accu-*
 symptomatum finitur, nonne id in angina re- *tus.*
 peritur?

¶ Morbus magnus est Galeno 4. metho.
 cap. 6. sub tribus differentiis comprehenditur *Magnus*
 dicente; Cum enim trifariam, non haec modo vicia, ve- *morbus tri-*
 rum etiam reliqua omnia graua, magnaq; reddantur, *bus modis*
 nempe vel propter afflictam partis praestantiam. Vel prop- *dicitur.*
 ter affectus magnitudinem, vel propterea quod sunt
 cachoete.

¶ Et sic appellamus magnum morbum
 secundum partem principem, secundum pro-
 priam essentiam, & secundum cachoeten, aut
 mali moris. Nam nomen cachoeticum a Grae- *Quid sit*
 cis dicitur, a Latinis vero mali moris: qui ca- *morbus ca-*
 choeticus morbus nil aliud est, quam eueniens *choeticus.*
 affectio cum grauibus symptomatibus. Et dici-
 tur mali moris, quia cum malignitate facul-
 tates corporis gubernantes laedit.

¶ Cum magnitudinem huius affectus ani-
 madverterem eum sub tribus differentiis dixi
 collocari: & magnam esse secundum suam
 essentiam, secundum partem principem, &
 secundum

De essentia anginae,

secundum cachoeten. Esse secundum suam essentiam patet, nam magnus morbus secundum suam essentiam est magna febris, magna inflammatio, aut magnum vlcus; sed in angina datur magnum vlcus, & magna inflammatio, ex qua magna febris symptomatica excitatur: ergo magnitudo secundum suam essentiam ab angina servabitur. Nam quamvis videatur inflammationem, & vlcus parvum esse, pars quæ affecta est parva videtur, sufficit in ea parvum vlcus malignum, vt ab eo magnitudo essentia denotetur.

¶ Est enim magnus morbus secundum partem principem, quia primò, & per se, vt est de natura morbi actiones principes ledit: sed angina sic se habet, ergo hæc affectio magna secundum partem principem erit. Minor patet, nam est tumor, & morbus in magnitudine aducta, in cavitare, & in parte principi. Quia est apostema in gutture, faucibus, aspera arteria, tã in musculis internis, quam externis, & in secunda vertebra ceruicis. Quæ omnes partes principes dicuntur, quia sunt instrumenta respirationis, locutionis, deglutionisq; quædam propria, quædam vero vsum prebetia.

¶ Pari ratione hunc affectum ad differentiam

tiam

tiam vltimam secundum cachoeten redigo. Et quia aliqui in mea tempestate cōtrariam rationem habent, explanantes anginā ex sua natura, & acuitate cum manifesta qualitate torquere, obiurantes in isto affectu malignitatem cachoeticam. Videtur mihi aliquibus argumentis adiunctis rationibus anginam fieri propter cachoeticam probare: & esse morbum secundum malam consuetudinem. Et *1. ratio.* pro prima ratione, & argumēto sic probatur. Morbus mali moris, vel cachoeticus dicitur à Galeno 4 metho. qui cum grauibus symptomatibus advenit, & sua malignitate facultates corporis gubernantes lædit. Sed sic se habet angina, ergo est morbus cachoeticus. Nā angina periculosa cum respirationis, inquietudinis, incopis, pulsus languiditate, & tremoris difficultate advenit. Quæ omnia graua sunt symptomata à quibus simul cū morbo maligno facultates corporis gubernantes afficiuntur: ergo morbus magnus secundum cachoeten.

¶ Ratio secunda est: quanto acutior est morbus, cāto malignior; sed anginæ affectio non tantum acuta dicitur, sed peracuta (vt suprà ostensum fuit) ergo est res maligna, & omnium affectionum malignior. Nam ex ea
 C vidi:

De essentia anginae,

vidimus, non tātum quarto, nisi primo, & secundo die animal perire, quod non fuit ut aliqui asseuerare ob acuitatem, & ipsius morbi naturam, nisi propter erosionem vlceris, & maleficam occultamq; cōditionem humorum. Nam multi anginosi à me medicati fuerūt, & alias curationes doctissimorum virorum vidi, & tertio die aliqui naturalē vrinam habebant, meliusq; actiones exercebāt, sine labore respirabant, & febris remissa erat. Et cum his laudabilibus signis ægroti per spatium octo horarum à vita recesserunt. Percōtor nunc medicos habentes aduersam opinionem, quomodo fuit istud, nisi à malefica occultaq; qualitate?

.3 ratio.

¶ Tertio probatur: anginam morbū mali moris esse, & ad comprobationē sic infurgo. Quando medicamenta directè, & sine errore disposita, pro qualibet morbi curatione fiūt, & morbus ab his auxilijs rectè applicatis, nō iubatur, sed magis paciens malignis accidentibus afficitur: dicitur morbus cachoeticus, seu mali moris. Sed in infinitis anginae curationibus multi docti, & periti rectè, & sine errore curationem disposuere. Mittētes sanguinem materiam euaquantes, deribantes, & reuelentes, vlcus abstergentes, & desiccantes,

omnes-

omnesq; existimantes partem læssam ad suū
 pristinum statum reducere, & ab his auxilijs
 doctè applicatis morbus nō se datur, magisq;
 augetur cum suis malignis symptomatibus:
 ergo talis affectus est cachoeticus. Miror est
 vera, quod experientia demonstrat, & maior
 patet, ex Galeno 1. de morb. vulg. cōment. 3.
 test. 1. dicente; *Sic enim clarum sit parum de cura-
 tione speramus, nam morbum constat cachoeticum esse,
 vbi cum rectè omnia administrentur nihilo fiat mitior.*

¶ Porro angina est inflammatio, & tumor 4. ratio.
 erisypellatodes, vel erisypulla flegmonoides
 ob maiorem bilis pernixtionem, ex quo fer-
 uore, & maiori adustione erodendo fit vlcus,
 & naturam in herpetem mutat exulcerādo
 partem, sed hoc vlcus cachoete dicitur prop-
 ter malignam qualitatem supervenientem:
 ergo in hoc affectu datur cachoetia esse vlcus
 cachoete constat ex Galeno 4. de comp. me-
 dicat. vbi vlcera cachoete diuidit in malig-
 niora, seu præter modum malefica, & sufficit
 vlcus, vt malignitas, & vitium in humoribus
 reperiat, quod apertè docet Galenus in fine
 lib. 5. de locis affect. cap. 5. sic asserens; *Fit au-
 tem vlcus, vel rupto vase, vel vitiosorum humorum
 influenza, id quod incutè, quoq; sæpè numero accidere
 videmus.* Et hæc de hoc capite.

CAP. II. De differentijs anginae.

ANGINÆ quatuor sunt differen-
tiæ, vt Galen. refert lib. 4. de loc. af-
fect. c. 4. & lib. 4. aphor. cōment. 34.
& in 4. de loc. affect. cap. 5. quintam differen-
tiam addit, ex quibus quinque differentijs, qua-
tuor ab inflammatione ortum habere viden-
tur: quinta verò ex luxatione secundæ verte-
bræ cervicis versus partem anteriorem depē-
det, & proinde Galen. lib. 4. aphor. commen.
34. tantum quatuor differentias locauit, quia
solūm ab inflammatione fiunt.

1. differē-
tia.

¶ Ex quatuor differentijs, quæ ab inflam-
matione nascuntur, prima dicitur: quando
musculi interni laringis inflammantur, hæc
cinanche, cum c, dicitur, quæ omnibus pericu-
losior est, quia ab ea cito homo suffocatur, nã
in ista aspera arteria affecta est, de qua locutus
fuit Hippocrat. 4. aphor. sententia 34. sic scri-
bens; *Si à febre habito tumore, non existente in fauci-
bus strangulatio repente supervenerit lethale.*

2. differen-
tia.

¶ Secunda differentia anginae dicitur, quã-
do musculi externi laringis inflammatione
paciuntur, quæ sinanche cum s, dicitur, & hæc
est

est minus prima periculofior. Tertia differē- *3. differen-*
 tia dicitur quando partes internæ faucium, *tia.*
 idest musculi extremi gutturis linguæ, aut
 gulæ inflammatur, quæ paracinanche cum c,
 dicitur. Quarta differentia est quando guttu- *4. differen-*
 ris partes tam internæ, quàm externæ affectæ *tia.*
 sunt, & hæc parafinanche cum s, appellatur,
 quæ omnia Galen. aperte docet demonstrans
 magnam locorum affectorum diuersitatem.
 Tribuens distinctionem, partesq; gutturis, &
 faucium diuidens in 4. de loc: affec. cap. 4. his
 verbis; *Atq; hæc sunt quatuor genera, primum vbi*
fauces inflammatur, fauces internum oris locum, voco
vbi simul conueniunt, & gulæ, & summi gutturis
partes extrema. Alterum cum neq; reliquæ oris par-
tes neq; etiam externarum partium vlla inflammata
videtur, laborans tamen suffocationis periculū in sum-
mo gutture sentit. Tertium vbi extrinsecus circa
fauces inflammatio apparet. Quartū vbi gutturis par-
tes tum externa, tum interna similiter affectæ sunt.

¶ Aliqui curiosi, vt Paulus, & Ætius dis-
 tinctionem apponunt inter financhen, & pa-
 rafinanchen, cinanchen, & paracinanchen,
 quæ distinctio, aut curiositas supervacanea
 est, & nil ad curationem refert cum sufficiat
 medicum inflammationem solam, vel simul
 cum ulcere ipsiusq; essentiam cognoscere. Nā

De differentia anginae,

Tria in cura medicus tātum in qualibet curatione tria de-
ratione à bet considerare. Morbum videlicet, partem
medico cō- affectam, & curationem: & non diuersa nomi-
siderantur. na quærere, quod à Galeno taxatur 4. de loc.
affect. cap. 4. dicente; *Nam tunc primum homines*
res ipsas primum neglexerūt, cum nimio studio nomina
quærere inciperent.

¶ Quinta differentia ex inflāmatione non
fit, vt aliqui existimarunt, nam à luxatione
secundæ vertebrę cervicis versus partem an-
teriolem excitatur; quæ vertebra à Galeno
lib. proreptic. comment. 55. dens appellatur,
ob quam compressionem versus partem ante-
riorem factam cōprimitur larinx, & trachia
arteria, ex qua luxatione animal respirationē
amittit; quæ differentia omnino incurabilis
est, de qua Hippocr. disputat. lib. 2. epidem. &
Galen. lib. 3. de arti. & 4. de loc. affect. cap. 4.
& 5. vbi ab eo omnes differentia anginae tra-
ditæ fuere: hanc vero est luxatione secundæ
vertebræ cervicis factam incurabilem esse
docet.

Obiectio.

¶ Est tamen obiectio, angina à Galeno, &
ab omnibus tantum consistit in inflamma-
tione. Sed quinta differentia non est inflam-
matio, ergo nō erit angina. Minor patet, quia
quinta differentia luxatio est secundæ verte-
bræ

bræ cervicis; quæ nil aliud est quam dislocatio, & morbus insitu partium organicarum, ex Galeno lib. 1. de differentijs morbor. cap. 10. ergo non inflammatio.

¶ Omnes cum Galeno asserunt inflammationem non esse, nisi dislocationem ipsius vertebræ cervicis; attamen angina est, quia omne illud à quo deglutio, & respiratio impeditur. Nullo existente vitio, neque in pectore, neque in pulmone dicitur angina. Et dislocatio secundæ vertebræ sic appellanda erit. Quia ab ea trachia arteria comprimitur, ex qua compressione transitus aeris inspirati impeditur, & paciens de repente cum abolita respiratione obijt.

*Communis
solutio.*

¶ Sed nunc percontor cui ista quinta differentia nomen inflammationis non meretur, nisi dislocationis, nonne inflammari potest (proculdubio non) quoniam omnes istius differentia sermones fecerunt solum de luxatione, Galenum sequentes, non verò discursum facientes, vtrum possit inflammationem accipere, & esse veram inflammationem, & anginam sicut quatuor à Galeno enumerata.

¶ Dico enim hanc quintam differentiam reducendam esse ad inflammationem, nam si hæc

Mea opinio

De differentijs anginae,

si hæc fit, quia secunda vertebra luxatur, cur non inflammaretur, non est in ea dispositio, ut ipsa met vertebra ab inflammatione afficiatur? non vnitur ligamentis, venis, & arterijs, porositates, cavitatesq; habet? ex Galeno 12. de vsu par. cap. 7. 10. & 14. in quibus cavitatibus fiunt articulationes, & vertebra processibus transversis obliquis, ascendentibus, & descendētibus vtitur; quorum processuum beneficio vertebræ inter se per (diatrosim) articulantur. Quod satis manifestum apparet, ex Galeno 13. de vsu par. cap. 3. ergo rectissime humores permeare possunt per canales, & vias dictas, & os alterari, inflammari, & corrumpi: quia imbibuntur humores in vertebræ porositatibus. Nil refert dicere vertebra est os, & in osse tumor non generatur; quia non augetur, nec inflammatur, ut falsè aiunt. Inflammatur nempe nam in se calorem præternaturam accipit, & ardet; quia ardor à veteribus inflammatio nominatur, ut patet ex Galeno lib. de differentijs morb. cap. 12. Quod os alteretur, & corrumpatur, constat ex ipso met Galeno 3. de fractur. dicente; Corruptionem in osse fieri ob multam aeris alterationem, vel ob saniei acredinē, quæ sua nitrositate ossa potest alterare, præsertim

si sa-

si sanies ipsa in sinu aliquo contineatur, & in ossium porositatibus imbibatur, idem affirmat Celsus lib. 8. cap. 2.

¶ Sunt namq; in ista quinta differētia duo morbi luxatio vertebræ, & ipsa met inflammatio, luxatio morbus in situ, inflammatio in magnitudine aucta, quia præternaturam in illa parte humores augētur, & hæc est vera angina à Galeno, quia ab inflammatione ortum habet, quæ verò fit à luxatione est impropria, quia non convenit inflammatio, & per consequens non erit febris, nec dolor. Quod in vera angina esse debet, & sic concludo luxationem secundæ vertebræ anginam veram non esse, nisi impropriam, nam quamvis in ea sit magna spirandi difficultas ob compressionem asperæ arteriæ, & paciens stranguletur nullo existēte vitio, neq; in pectore, neq; in pulmone, & vix potest respirare nisi erecta ceruice, quæ difficultas magis affectus orthopniacus dicitur, quam angina.

¶ Sed adversus meam doctrinam videtur *Obiectio* obiectio ab Hippocr. 3. prognost. sent. 18. his ab Hippo-
verbis; *Angina gravissima est accelerrime interimit, nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit plurimum verò doloris infert, ac spirationis difficultatem, quæ non nisi erecta ceruice trahatur. Et 1.*

De differentijs anginae,

procorrecti. comment. 54. ait fauces dolentes, absque tumore, cum implaciditate stranglucientes supra modum perniciosae. Ergo ex his locis Hippocratis videtur esse veram anginam, sine ullo tumore, nec in ceruice, nec in faucibus, & magis conspicue à Galeno videtur in 1. procorrecti comment. 54. anginam reperiri sine tumore nam illa dictio, absque; expressè à Galeno tradiditur, *id est, sine tumore*, & abundè patet ex eodem Hipp. li. 4. aph. sent. 35. dicente; *Si a febre habito collum peruertitur, & vix potest deborare, sine ullo tumore lethale est.* Quæ istius aphorismi interpretatio à Vallesio tradita est asserente hoc de luxatione intelligere, non vero de inflammatione, & id intelligendum erit de reliquis locis ab Hipp. propositis, ergo iam ex sententijs horum doctissimorum virorum mea opinio refutata videtur.

Solutio.

Ad primum, & secundum locum Hipp. in 3. prognos. sent. 18. & 1. procorrecti. sent. 54. semper affirmando respondeo, luxationem non esse veram anginam, & Hippocrates in locis citatis tantum de inflammatione fuit locutus, non existente in faucibus, nec in ceruice, nisi in secunda vertebra cervicis, quæ perniciosissima, & lethalis est, quæ vertebra (vt supra probavi) prædicta dispositione est ad inflammationem.

mationem accipiendam, quod disputet Hipp. in locis propositis de inflammatione patet in primo loco; *vbi plurimum doloris infert*, quod non fit sine vilo tumore. Et est ratio, quia a Galeno multis in locis vidimus dolorem magnitudinē inflammationis significare, & in quacumque parte vbi dolor erit fluxio aduenit, quod euidenter demonstrat Gal. in 4. aphor. comment. 32. his verbis; *Nam in vehementioribus motibus, & vires fiunt imbecilliores, & caliditas maior accenditur, dolorque iam fluxione decumbente perficitur.* Et ex ipso met Galeno dolorem signum abcessus esse demonstrat in comment. citato: ergo si Hipp. plurimum doloris infert ab eo plurimum erit fluxionis, & inflammationis, nam semper a dolore fluxio incitatur, vt lucide Galen ait in 3 metho. cap. 4. dicens (quandoque dolet plus aliquid affluere facit) & magis se explicans in 5. aphor. comment. 54. vbi affirmat dolorem inflammationē facere. Et sufficit in qualibet parte dolor, vt sit inflammatio, quod patet ex Galeno comment. & apho. citato dicente his verbis; *Atque hac ratione dolentibus partibus inflammationes adueniunt.* Ergo si ex istis locis ab Hippocr. a numeratis (plurimum doloris datur) daretur plurimum inflammationis, vt copiose a me

probatū fuit at tamen hęc inflāmatiō non in faucibus, neq; in ceruice erit: quia excitatis locis Hippocratis, & Galeni in istis partibus nō reperitur: ergo in vertebra cervicis, & per cōsequens quinta differētia anginae vera angina orta ab inflammatione erit, de qua Hippocrates, & Galen. locuti fuere, quæ vero á luxatione fit, est impropria, & non meretur nomen anginae.

¶ Ad tertium locū Hippocratis vbi maior difficultas reperitur, vt apparet in 4. aphorif. sententia. 35. afferentis ita; *Si á febre habito collū pervertitur, & vix potest de borare sine vllō tumore lethale est.* Respondeo, non pertractare de luxatione secundæ vertebrae cervicis, quamvis id Vallesius affirmet, nisi de strangulatione, quæ fit propter imbecillitatē illius potentiaē, quæ mouet thoracem, vel propter angustiaē magnam inflammationis ortam á febre præcipuè si ardens sit ex cuius angustia aspera arteria maxime afficitur, & collum pervertitur ob respirationis vrgentem necessitatem, & multoties euenit ob excedentem siccitatem, quod demonstrat Galen. in comment. istius aphorismi, vbi curiosus lector aliquid notatu dignum inueniet. Et hæc de hoc capite.

CAP. III. De causis anginae.

CVM tria sint, quæ corporibus præternaturam contingunt, morbus videlicet, causa morbi, & symptoma. Quæ omnia vt á perfecto medico, in qualibet methodica curatione perfectio imponatur cõsiderare debetur. Et magis cõsiderabit morborum causas cognitio quarum magni momẽti est, tum ad morborum curationem, tũ ad eorum præcautionem. Neq; enim fieri potest, vt certa via ac methodo morbis medeatur, hosq; præcaueat, qui causas ignorauerit: nam causa frigida morbum frigidum generat, calida veró calidum, &c. Quia omnibus causis commune est inducere ei, quod fit aliquam sui generationis partem ex Galeno lib. de differentijs symptomatum cap. 1. de quibus ad longum agam, in quoddam labore de symptomate, & morbo super sex Gale. libros; quod opus per me dispositum (volente Deo) in lucẽ exiet; ac tamen hoc capite tantum de causa morbifica disputandum erit, quæ á Galeno 1 de locis affect. est illa qua præsentē afficimur necessariõ, atq; absente simul tollitur affectus,

De causis anginae,

quæ coniuncta appellatur. Erit enim agendū de alijs, & varijs causis á quibus frequēter angina originatur, nam caulatur á causis proca-tharticis, siue externis, ab antecedētib' enim, & coniunctis. Quas omnes medicus animi ad-uertere debet, vt in cognitionem verā morbi anginosi deueniat, nam á Galeno 10. metho. cognitio morbi est remediorum inventio: & qui rectè, & sine errori cognoscit, rectè medi-cabit. Quod euidenter docet Hippocrates 1. de ratione victus in morb. acut. cōment. 3. & lib. de arte, & morbo (cum medicus sufficit ad cognoscendum, sufficit ad sanandum, nā me-dicus vt culpa vacet, & morbum cognoscere, & rectè curare debet) & Galenus in cōmenta-rio citato cognitionem morborū laudat, quæ ante curationem primum locum occupare debet; quod docet his verbis; *Nam in primis quis nam sit morbus dignoscere oportet, deinde curationem ipsius ita aggredi.* Et huic doctrinæ fauet Galen. 2. metho. cap. 7. & 1. de crisi. cap. 16. & 20. & 3. de loc. affect. cap. 10. & 1. acut. & Auice. fen. 4. lib. 2. cap. 1. & alij, & multitudine copiosa, & Hippocr. 1. de ratione victus sententia 10. idiotas appellat medicos morborum quiddi-tates ignorantes, & eorum cognitionem. Ve illis ignorantibus, qui fauoribus, & labore alieno

alieno curatores sunt, quos magis interfectores appello. Nam cursus emunt gradosq; adquirunt auro, & argento, quorum iam infinitus est numerus.

¶ Procatharticæ, aut externæ causæ dicuntur, quæ extrinsecus advenientes vehemèter corpus affligunt, vt calor externus, & frigus; nam calor externus dissolvens, faciensq; humores fluere ad guttur, vel ad loca, vbi talia consueverunt generari apostema facit anginam. Pari ratione à frigiditate externa hæc affectio causatur: nam frigidum comprimendo materiam ad guttur, & partes eius mouet. Sunt namq; causæ procatharticæ ciborum facultates, vt frigidus potus, aut calidus, nimia facietas, aut ebrietas, & quæcumq; mala, quæ ex respiratione attrahuntur. Antecedentes causæ dicuntur fluètes humores, vel partium repletio, & præcipuè in illis, quæ circa fauces, gutturq; existunt: vt sanguis, bilis, pituita, & melancolia.

¶ Coniunctæ causæ sunt humores anginã actu facientes, qui partim fluxi sunt, partim vero fluunt; quod omne ex Ætio serm. 8. c. 47. patet, & ex Auice. nona tertij. c. 9. & ex Hipp. 4. de ratio. vict. in morb. acut. textus 30. & si hunc locum Hippocrat. attentè legis varias causas

De causis anginae,

causas fluxionū, & distinctas, ex diuersis partibus fluentes inuenies.

*Tumores
præternatu
rã quatuor.*

¶ Angina cum sit inflammatio, & tumor præternaturam ab omnibus humoribus causatur, & distincti, varijq; tumores fiunt, nam fit flegmon à sanguine, erisypella, à bile, & edæma à pituita, & schirrus à melācolia: & ob maiorem adustionem vlcus cancerosum ab atra bile. Quæ tumorū differentia frequēter in angina elucescunt: & quod fiat ab omnibus humoribus facius à Galeno, & Auicena demonstratum est. Et præcipuè à Galeno 4. accutor. commen. 30. & 31. vbi à pituita, & bile fieri docet. Quod confirmat 3. progn. cōmēt. 3. sent. 20. ipse met Galen. sic asserens; *At vero magna est parte fluxio hæc biliosior est, & expressè Auicena sequitur assertionem dictam nona tertij. c. 9. his verbis; Et hæc quidē apostema quandoq; accidunt ex sanguine, quandoq; ex colera rubea, quandoq; accidunt ex flegma, & paulò infra raro accidit à melancolia.*

Obiectio.

¶ Est tamen obiectio quomodo Gal. mentionem non fecit de sanguine, & melancolia, nisi de pituita, & bile: nam quāvis raro à melancolia causetur angina maiori ex parte hūc affectum à sanguine originē habere videtur.

Solutio.

Respondetur, cū angina à melancolia raro, fiat

fiat, vt Auicena ostendit loco citato; & cur *Cur raro*
 ab hoc humore raro fiat est ratio: quia humor *angina à*
 melancolicus sua crassitie, & terrestriate, subi- *melancolia.*
 to non effundi, seu eliquari ab vno membro
 in aliud potest. Quæ effusio, seu eliquatio, vt
 squinantia fiat necessaria est: quod impossibi-
 le videtur, nisi aliqua species subtiles substā-
 tiæ melancoliæ sit permixta, cum aliorū hu-
 morum subtilitate. Sed hoc raro euenit, ergo
 angina raro fit à melancolia. At tamen eue-
 nire solet ab hoc humore, si succedat, quod
 à me dictum est, & cum à Gal. hæc humoris
 difficultas cognita fuit, aut hæc angina ab
 humore melancolico orta, quæ raro euenit
 ob dictas causas propter difficultatem habē-
 tem, nil dicere noluit. Vt medici docti naturā
 rei assiduo labore inquirant.

¶ Pari quoque ratione necesse non fuit
 verbis expressis Galenum anginam à sangui-
 ne causari animaduvertere: cum perspicuū sit
 sanguinem maiorem efficaciam habere ad tu-
 morem præternaturam augendum, quam re-
 liqui humores. Nam cum ab hoc morbo præ-
 ternaturam tumor petatur, cum difficultate
 respirandi, aut diglutiendi: & à sanguine dicta
 efficacia habeatur ad tumorem augendum,
 quæ non reperitur in biliosis humoribus, nā

biliosus sola ob suam tenuitatem non valet in tumorem partem eleuare, neq; illam difficultatem generari, quia osculum laringis non claudit. Et est tamen animadvertendum in pituita, & melancolia, nam quamvis ab istis humoribus tumor causetur, non est illa respirationis anxietas, nam frigidi cum sint humores, ab eis incendium non excitatur: ergo solum adest in sanguine maior dispositio ad tumorem generandum, & per consequens angina. Et quia hoc studiosis manifestum est superuacaneum a Galeno erit verbis expressis demonstrare: & si ab eo tantum mentio facta fuit humoris biliosi, & pituitosi, quam aliorum humorum; est quia maior difficultas, & studium reperitur in humoribus biliosis, & pituitosis ad tumorem praeternaturam augendum, quam in alijs humoribus.

¶ Est tamen obiectio angina est morbus acutus, sed nullus acutus ab humore pituitoso fit: ergo talis affectus non causatur ab isto humore, maior est vera a Galeno multis in locis, & minor patet ex ipso met Galen. 3. prog. comment. 20. his verbis, *Quod si pituitosus interdum tumor infestet celerrime discutitur, nec villo pacto acutus talis morbus est.* & idem tenet Auicena. Vidimus enim ex loco Galeni citato, seipsum
contra-

contradixille in 4 accuto comment. 30. & 31. ubi affirmat, anginam ab humore pituitoso fieri, quod impossibile est, nam ex ipso met Galeno apparet anginam, non solum morbum accutum esse, sed peraccutum, sed á Galeno vt supra probavi, accutus morbus ab humore pituitoso non causatur: ergo angina morbus accutus cum sit, ab isto humore non euenit: & per consequens Galenum se ipsum oppositum fuisse videtur.

¶ Respōdetur: anginam duplicem esse exquisitam, & notā, & accuties tantum anginae exquisitæ, á calido humore excitatur, non á pituita, nam ex tali materia morbus accutus non datur. Nam deffinitio accutorum pituitosis humoribus non convenit, quia non est motus velox, nec cito pericula ab eis adveniunt, quod omne in accutis reperire debet: & si á Galeno facta fuit mentio anginae ortæ á pituitoso humore: locutus ipse Galen. fuit de angina notha, quæ febris expers est, in qua accuties non reperitur; quāvis humor ex Galeno infestet. Et quando ab ipso met Galeno dictum fuit, anginam morbum accutum esse intelligitur de angina exquisita causata ab humoribus calidis, scilicet, biliosis, & sanguineis, nā quæ fit ab humore pituitoso, vt dixi, notha

Solutio.

De signis anginae,

appellatur, in qua acuties nō erit, vt constat ex Fernellio lib. 5. de par. morb. cap. 9. afferēte ita; *Angina vero, quæ notha nuncupatur febris est ex- pers hęc autem fit cum pituitosa destilatio in faucibus, cervicisq; musculos decumbit, & inter acutos morbos habenda non est. Fit nonnunquam angina superfluitatum multitudine ad fauces collecta, & magna ex parte fluxionibus in capite firmatis, & in faucis collectis, vt Galen. refert 3. aphorif. comment. 16. Et hęc de hoc capite.*

CAP. III. De signis anginae.

CVM per signa affectum noscamus, & in quolibet morbo propria, & diuersa sint, quæ essentiam morbi denotent, vt pathonomonica. Alia vero, quæ morbi magnitudinem, quæ assidentia appellatur, quia ab esse, & ad esse possunt, & indicant de magnitudine, aut remedij parvitate. Alia vero dicuntur mox appariantia in coctione, aut cruditate: à quibus breuitas, aut morbi longitudo demonstratur. Sunt tamen alia signa boni, aut mali moris, quę proprio nomine supervenientia dicuntur, indicantia malam, vel bonam

bonam conditionem morbi. Et in fine signa critica sedem occupant, quæ varia sunt ob varias crises in quolibet affectu euenientes. Quæ omnia rectè à medico considerare debentur, in qualibet curatione, vt præteritum, præsens, & futurum ab eo inquiratur.

¶ In primis erunt considerata signa pathonomonica, quæ sicut in reliquis affectibus in agina reperiri debent. Sunt namq; difficultas respirandi, & diglutiendi, quæ duo signa in angina aliquando simul reperiuntur, aliquando vnum, aut aliud. Esse simul constat ex Galeno lib. 4. de loc. affec. cap. 7. his verbis; *Cæterum cum summi gutturis interni musculi inflammantur, eum affectum anginam esse constat, qui simul vocem diglutionem, & respirationem lædit.* Reperitur enim multoties vnum, aut aliud tantum, quia hæc duo frequenter simul non reperiuntur. Nam sola invenitur difficultas diglutiendi, quod rectè docet Rhasis lib. 9. ad Almançorem cap. 48. vbi ab eo facta fuit mentio tantum difficultatis diglutiendi, quod affirmat Auicena cap. 9. de angina. Quæ sola difficultas diglutionis, aut respirationis euenit ob varias affectiones in diuersis meatibus interni gutturis, aut faucium. Vt in meatu diglutionis, vel respirationis, qui distinctione vtuntur,

Quomodo difficultas diglutionis, aut respirationis fiat.

& vnus sine alterius leſione affici poteſt, ex Bordonio capite proprio de angina. At vero quando hæc duo ſigna ſimul inveniuntur ab eis magna inflammatio in partibus internis indicatur, ideſt, in meatu reſpirationis, & di-glutionis ſimul. Quæ duo ſigna frequenter ſimul apparēt ob maiorem augmentum inflā-mationis; aliquando vero vnum, aut aliud in meatu di-glutionis tantum, vel reſpirationis.

*Signum do-
loris.*

¶ Est enim ſemper dolor, nam cum in an-gina pars affecta, ſit ſenſus prædicta; mirum non erit dolorem, ſeu actionem ſenſus tactus deprauatam redundari. Nam de natura dolo-ris eſt in rebus ſenſibilibus eſſe; minimè verò in inſenſibilibus, quod manifeſtè docet Gale. 14. meth. cap. 7. Quod ſymptoma, aut ſenſus triſtis dupliciter incitatur; videlicet media ſo-lutioni continui, aut alteratione quadã, quod ipſe met Galenus loco ſuprà citato demonſ-trat.

*Quomodo,
& à quibus
dolor inci-
tetur.*

¶ Est tamen animadvertendum hanc al-terationem doloris confertim factam, & vio-lentam, vt Galenus docet eſſe debere. Quæ al-teratio, & continuitatis ſolutio in angina re-peritur. Ergo dolor ex quibus rationibus dic-tis frequenter anginam dolore affici affirmo. Nam de natura huius affectionis eſt in tem-peries,

peries, inflammatio, vlcus, contusio, erosio, *Causæ so-*
 ruptio, & distentio: quæ omnia solutionis cō- *lutionis cō-*
 tinuitatis sunt causæ. Ex Galeno loco citato, *tinui.*
 á quibus frequenter dolor extitatur, vt aperte
 docet in lib. 13. method. cap. 6. quód affirmat.
 ex Hippocrate lib. de inæqua. in temper. c. 4.
 & Hippocrates libr. de loc. in homine sic ait;
Dum alteratur, & corrumpitur natura dolores fiunt.
 Natura á quibus, & quomodo alteretur de-
 monstrat Galenus lib. de inæqua. in temper.
 cap. 4. (nam alteratur, aut corrumpitur cuius-
 q; natura, cum vel calfit, vel frigeat, vel sicca-
 tur, vel humefit, vel huius vnitas dissolvitur) *Natura d*
 & cum semper in anginosis tales succedant *quibus alte*
 alterationes media solutione continui dolor *retur.*
 apparebit.

¶ Dolor dicitur symptoma, quia morbum
 sequitur sicut vmbra corpus; & actiones simul
 cum ipso morbo, non primo, & per se lædit.
 Qui dolor in angina aliquando fortis est, ali-
 quando remissus, quod euenit ob diuersitatē
 materiæ. Nonnunquam hæc affectio sine do-
 lore fit, vt constat ex Galeno 4. aphor. cōmē.
 34. sic asserēte; *Possibile est multitudine humiditatis*
pituitosæ præsertim madefaciēte, tunicam summi gut-
turis interiorem fieri in ea, absq; dolore tumorem.

¶ Est tamen obiectio, quomodo Galenus *Obiectio.*
 affir-

De causis anginae,

affirmet esse anginam sine dolore ortam ab humore pituitolo, qui humor ex ipso met Galeno tumorem sine dolore facit, quod magis mihi difficile videtur, cū multis in locis hæc affectio cum dolore, & inflammatione definiatur: quæ inflammatio est tumor durus, & dolens, quod constat ex 4. de loc. affect. cap. 3. & 3. prognos. sentent. 18. & 1. prorrect. cōmēt. 54. in quibus locis semper affirmat Galenus dolorem in angina esse. Ergo vidimus Galen. se ipsum cōtradixisse, & vt dixi quod difficile videtur in 4. aphor. cōmen. 34. tumorem fieri sine dolore. Quod non est veritati cōsonum; nam si plurimum doloris infert, tumor sanguineus, quam biliosus, & hoc fit, quia partes a flegmone sanguineo magis inflantur, ac detēduntur, quam a bile: quia sua tenuitate hoc nō causat; ergo a tumore pituitoso dolor causaretur. Nā a pituita fit edæma, a quo tumore partes inflantur, ac distenduntur, & per consequens dolituras esse. Quod doleat tumor sanguineus magis, quam biliosus patet ex Auicena nona tertij cap. 9. his verbis; *Et dolor colericæ minor est dolore sanguineæ.*

Solutio.

¶ Respondetur: quamvis Galenus multis in locis dolorem anginae tribuat ob tumore, non in omni tumore est dolor; quod patet in
exqui-

exquisitis, & squirrosis cancris, in quibus tumoribus hoc symptoma non habet locum: & eadem ratio est in edæmate pituitoso, quia hi humores frigidi, cum sint quavis ab eis pars distendatur: dolor non euenit, quia ab ista materia frigida partes inflammatae stupefiunt, cum sensus priuatione, nam sicut est proprium opij sua frigiditate venenosa dolorem se dare partem stupefaciendo, sensuumque auferendo simili modo humores frigidi hoc efficere possunt, & si semper à Galeno in omni angina dolor disponitur, & postea ab eo dicatur, non esse in angina pituitosa ob id non contrariatur, quia intelligitur à Galeno de paucis dolore, qui in pituitosa angina reperiri solet ob aliquam duritiem, & distensionem propriam tumoribus edæmatosis: quod euidenter docet Auicena lib. 3. fen. 9. sic asserens; *Dolor autem non fit fortis in flegmatica, & dura, & fit fortis in calida.*

¶ Est enim in hac affectione febris symptomatica, & symptomatica appellatur, quia sequitur inflammationem gutturis, aut eiusdem musculorum, siue sint interiorum, aut è contra, & se data inflammatione febris se datur, at tamen quando fluxio hæc ab humoribus excitatur, non solum aduenit febris, sed dolor, & sitis, ex Galeno 5. de locis affect. c. 4.

Signum febris.

De signis anginae,

dicente; Quod si tumor inflammationis fuerit participes accedet ei pariter, & dolor, & sitis, &c.

¶ Multoties enim non datur febris præcipue quando inflammatio parua est, & ipsius materia ad frigiditatem declinat: ob quam causam paucae fuligines eleuatur. Quorum vigor ad cor non tendit, vt ab eo per arterias ad omnes corporis partes febris originetur: quæ anginae differentia febris est expers doloris, & sitis, vt recte docet Galen. 5. de locis affectis cap. 4.

¶ Est enim pulsus quadam tensione prædictus magnus, & vndulosus, celer, vehemens, durus, & languidus. Quæ omnes differentia in diuersis temporibus inflammationis sunt, sunt namq; in hac affectione pulsus magis, aut minus tensi, quod euenit ex diuersitate, & natura materiae facientis anginam, vt ait Galen. 4. de cau. puls. cap. 20. sic disputans; Ita q; neque anginae pulsus vacat tensione, &c.

¶ Non supervacaneu meritis de istis varijs differentijs pulsuum agere: quæ frequenter in angina reperiuntur, quæ doctrina, & cognitio magni momenti est: qua perfectus medicus in veteris cognitio nemus inflammationis deueniet, præcipue in ipsius curibus, & laboribus materiae pulsuum operam dedit. Et

Signum pul-
sus.

quia

quia semper in hoc opere mihi fuit desiderium, non tantum essentias, ac differentias rerum explicare, auctoritateſq; authorum, sed rationibus adiunctis id demonstrare proposui. Ob hanc causam teneor pulsum quidditates, & differentias specificè demonstrare: & cum in hoc affectu inflammatio urgeat, quæ quatuor temporibus utitur, nimirum principio, augmento, statu, & declinatione: ex quibus temporum diuersitatibus, diuersæ pulsum differentia elucescunt.

¶ In principio inflammationis fiunt pulsus magni, celeres vehemētes, & parum duri. Magni quoniam usus adactus est, & instrumentum obediens, cum arteria parum tensa sit. Parum duri, quoniam inflammatio incipit; vehementes verò, quia differentia pulsum vehementium à facultate summitur: quæ in principio robusta est, & natura maximos adhibet conatos ad causam morbificam expellendam. In augmento inflammationis fiunt pulsus duriores, ob maiorem tensionem ortam à maiori copia inflammationis. In statu fiunt pulsus celerrimi, & frequentissimi, nam natura valdè in coctione agitata est, & multoties eueniunt rari, & parvi, quod ratione imbecillitatis euenit.

De signis anginae,

¶ In declinatione tandē variæ dantur pulsus differentia, quoniam varia est inflammationum terminatio, nam omnes inflammationes quatuor modis terminantur. Primò, per digestionem, secundò per coctionem, tertio per indurationem, aut squirrum, quartò, per putredinem, aut gágrenam: vt constat ex Galeno lib. de inæqua. in tempe. In primis, inflàmatio per digestionem declinat quãdo calor robustus est, & materia benigna, qui quidem terminationis modus omnium præstantissimus dicitur, ex Galeno 3. de compos. medic. secundum loc. capi. 2. Secundò terminatur, aut declinatur inflàmatio per indurationē, aut squirrum; quando ex in tempestiuo medicamentorum vfu resolventium pars tenuior digeritur, & crassior remanet. Tertio verò per coctionem terminatur quando materia inflàmationem faciens in pus muttatur. Et hoc fit quia natura valida cum sit ad se assimilabit humorum inæqualitates: quòd in qualibet coctione reperiri debet. Quartò, & vltimo per corruptionem, aut angrenam inflàmatio declinat, & hoc euenit quãdo obrupto calore pars mortificatur.

*Quomodo
coctio fiat.*

¶ Cum satis demonstratum sit varias esse inflammationum terminaciones, aut declinaciones,

tiones, quæ sicut in reliquis affectibus in angina patent, mirum non erit in qualibet earum varias esse differentias pulsum; ob varias materiae mutationes, terminationesque. Nam quando in angina inflammatio per digestionem terminatur, non est durities pulsus, neque illa celeritas, & frequentia, quando vero per supurationem, aut coctionem fiunt pulsus celeres frequentes, & duri. Quando vero per gangrenam, aut partis corruptionem pulsus eveniunt languidi.

¶ Est tamen animadvertendum varias pulsum differentias esse pro diversa, & varia natura partis inflammatae; nam aliquando solet inflammatione affici partes nervosae, & membranose, aliquando vero partes molles, & carnosae. Unde quando partes membranose, quæ sua natura duræ sunt inflammantur, duriores efficiunt pulsus, quando vero partes carnosae, & molles, molliores. Quæ omnia, curiosus, & studiosus lector inveniet, in varijs, & multis capitibus, & locis à Galeno traditis libr. de differentijs pulsum.

¶ Est autem urina signum magni momenti, hæc aliquando naturalis apparet, aliquando contra, & præternaturam, ut alba, rubra, & flava. Fit enim naturalis urina in angina, quia

*Signum
urinae.*

De signis anginae,

virgens affectus nō est venosi generis. Fit alba, decolorataq; ob permixtionem humoris pituitosi, & obstructionem, auersionemq; bilis ad inflammationis locum. Fit rubra, & flava; eō quod est magnum apparatus in corpore: & febris quæ antea ratione inflammationis symptomata erat in putridam degenerari videtur.

Signa diuersorum humorum.

Signa humorum redundantium ex eorum peculiaribus signis constabunt. Nam si distemperies fuerit in sanguine, tumor facies anginam rubicundus erit, & maxime dolens, & durus, rubedoq; in facie, & in oculis apparebit, erit pulsus plenus, & undosus, sapor dulcis, & magna anhelitus constritio. Si in bile, intēsa caliditas, sitis, & inflammatio cum ficcitate apparebit, erit sapor amarus citrinitas linguæ, & dolor intensus. Si in humore pituitoso, multa humiditas in ore abundat, & si talis humor corruptus, aut putrefactus fuisset, sapor falsus erit, si non, insipiditas in ore apparebit: pariq; ratione albedo in facie, in lingua, & ore, dolorq; parvus cum sitis diminutione erit; & frequenter angina ab isto humore pituitoso orta, longa terminatione vititur. Si hæc affectio aliquando á melancholia causetur, color erit lividus, durities in tumore, sapor acetosus,

tosus, & paulatim euenit, vt tradidit Vallescus de Taranta cap. 2. de angina.

¶ Est enim vox rauca, & vt omnes affirmant, aliquando potus per nares regurgitat, & ex Auicena æger cum naribus loqui videtur.

¶ Ulcera, quæ simul cum inflammatione infestantur, variæ sunt in colore, calore, sorditie, corruptione, & fœtiditate; ex quibus diuersæ crustæ apparent, aliquando libidæ, albæ, & nigrae. Quod euenit ex diuersitate humorum redundantium, quæ ulcerum differentia, & signa, rectè traduntur à Galeno, & Petro Foresto, & præcipuè à Doctore Illesonso Nuñez in suo tractatu de angina.

CAP. V. De prognosticis anginae.

Cum ex directa, & cordata diuinatione non fama, & honor laudabilis apud vulgum in medicis nascatur, & per consequens infamia, & opprobrium si contra euenit illud, quod ab ipsis in morbis vaticinatum fuit. Ob hanc causam, & difficultas e conuenit medicum valde formidolosum esse

De prognosticis angina,

in futurorum prænuntiatione; quod accuté docet Galen. 1. de dieb. decreto. c. 12. & sic sit medicus sagax non præceps, neq; festinus in futurorū prænuntiatione, & maxime in accutis, vbi in certa solet esse prædictio: quod Hippocrates senten. 2. aphor. 19. his verbis docet; *In accutis enim non omnino tutæ sunt prædictiones salutis, aut mortis* & vt certa prædictio sit ante omnia perfectè, & sine errore methodicus cognoscere debet naturam ægrotantis, ipsiusque affectum: an acutum breuem, aut cronicum. Quæ diuisio, & regula magni momenti est ad inquirendum præteritum, præsens, & futurū; qua disciplina certa prædictio erit, & eger existimabit facilè medicum affectum reduntem cognoscere, & in eo magna læticia de sua salute sperauit; quod euidenter docet Hippo. 1. prognost. sent. 20.

¶ Suppositione enim dicta ad prædictionem morbi anginosi, aut suffocantis deueniendum erit, in quo si dolor adfit, cum implacitate deglutitionis, aut respirationis, absque nulla tumoris manifestatione periculum vrget, ex Hippocrate 2. proreect. cōmen. 2. sent. 54. & 3. prognos. sent. 18. Si in faucibus vlcus apparet, malum præcipuè quando febris redundat, ex eodem Hippocr. 2. progn. sent. 17.

Erit

Erit enim læthale signū quando spumā exit per os, nam vehemens motus, & calor feruor adiectione spumæ significatur; ex Hippocrate 2. aphor. sentē. 43. Quæ spuma ex aerea, aut pituitosa substantia permixta est, vt Galen. in comment. aphorismi citati, & in 2. prognost. cōment. 47. docet.

¶ Sunt enim pessima, ac læthalia signa minoratio pulsus color viridis, denigratio in situ oculorum, grossitudo linguæ, ipsiusq; nigredo, & extremorum refrigeratio, ex Auicenna nona tertij, capit. 9. Porro signum pessimum erit si tussis adueniat, nam à tussi materia ad pulmonem vertēs significatur. Malum enim si tremor succedat, & sincops, nā materia tendit ad cor, sicut si vomitus adueniat ad ventriculum, & si difficultas deglutiendi, & respirandi simul appareat malum, quia in partibus internis, & in ambobus meatibus magna inflammatio viget.

¶ Laudabilia signa erunt facilitas deglutionis, & respirationis, parvus dolor, & inflammatio, febris remissio, & angina, quæ ab humore pituitoso fit, minus cæteris est mala.

¶ Difficile ab aliquibus quamvis credibile mihi videtur, illud quod ab Hippocrate dictum fuit in 7. aph. sent. 49. dicente; *Ab angina*

Obiectio.

De prognosticis anginae,

molestato tumor, & rubor in thorace superveniens bonum, extra enim vertitur morbus. Quod idem affirmat in 6. aphor. sent. 37. Dixi locum Hippoc. difficilem esse, quia ab aliquibus dubitatum fuit asserentibus Hippocratem, non recte animadvertisse anginae naturam, nam multi, & ferè omnes hoc affectu laborantes cum determinatione ad extra ruboris, & tumoris in regione thoracis, vitam cum morte commutarunt: quare ab ipsis videtur Hippocratem oppositum fuisse.

Solutio.

¶ Respondeo, semper Hippocratem perfecte naturam rei animadvertisse, & quamvis sit verum omnes cum determinatione ad pectus aliquando perire, ob id Hippocratis locus reiectus non erit. Nam quãdo homines cum determinatione ad extra obeunt, rubor, & inflammatio ad pectus superveniens magnam materiae copiam indicat, quæ fluxio, & inflatio maiori impetu, & vi in partibus internis, & principalioribus remanet, & tam interna, quàm externa affecta sunt: quo violento motu, & naturæ agitatione eger repentinè perit. At tamen de hac magna inflammatione Hippocrates non fuit locutus, nisi de illa tantum materia anginam mouens, quæ tota ab internis ad extra terminatur, sicut optima crisi,

crisi, ex qua determinatione ruboris, & tumo-
ris in pectore, morb^o extrá vertitur, & est iter
salutis laudabile, quia partes intimiores, &
principaliores illæse quiescūt, quòd rectè Ga-
lenus docet 6. aphor. comment. 37. his verbis;
*Sermo verus est, & causa in promptu, siquidem ex in-
timioribus, & principalioribus partibus passiones con-
fert ad cutim transferri.*

CAP. VI. De victus ra- tione in angina.

IN qualibet curatione ratio victus ante-
ponitur, & in primis de ea disputo, nam
ex optima victus administratione, sani-
tas consequitur, absq; medicamentorum vir-
tute, vt Galenus lib. de acenu. vict. rat. cap. 1.
his verbis docet; *Sunt enim quos præstiterit sola
victus ratione sine medicamentis persanare.* Et si in
angina, aut in alio morbo aliquis intempesti-
uè, victu vtatur periculum imminet, ne ob co-
piam immoderatam, & sine occasione dispo-
sitam fluxio, febris, & inflammatio augeatur:
aut è cōtra ob remissionem, & dietam debili-
tetur natura, ex quo errore immoderatè quã-
tatis, paciens pravis succis impletur: quod

De victus ratione in angina,

ipse met Galenus docet. Qua de causa cognitio victus magni momenti est, & hæc nõ leuis pars in curatione videtur, immò principalis, quod docet Galen. i. i. metho. cap. 15. afferens ita; *Sed cum ars tota sit magna, nõ leuissima eius pars est scientia ordinandi victus.*

¶ In victu oēs res nõ naturales cõveniunt, vt aerabiēs, cibus, & potus, somnus, & vigilia, labor, & quies, euacuatio, & repletio, & animi passiones. Victus enim ex consensu omnium medicorũ semper à virtute sumitur, cuius tres sunt differentię, ex Gal. i. apho. commenta. 4. crassus, videlicet, tenuis, & mediocris, crassus quia vires auget, tenuis eo quòd diminuit, mediocris verò, quia vires cõseruat: & ita in corpore alendo quatuor considerare tenemur, id est, eius vires, substantiæ modũ, circũstantias quasdam, & vltimo morbum, quo afficitur. Nam victus, vt alimentum est tantum habet virtutem vitalem custodire, per accidēs verò sanitatem cõseruat, & morbum propellit: quod tenet Galen. i. de rat. victu. capi. 4. 5. At verò quando corpus à morbo afficitur, vt perfectè victu vtamur considerata est morbi species, & debilitas virtutis ab eo causata, & an breuis, aut longa terminatio à morbo habeatur. Quo supposito in alimẽto tribuendo

in ægrotis, quinque animadvertenda erunt, nimirum considerabimus eius formam, quantitatem, qualitatem, utendi modum, & occasionem. Rursus tenuis victus dicente Galeno quatuor utitur differentiis: est enim tenuissimus exactè, tenuissimus absolutè, tenuis exactè, & tenuis absolutè: quorū differentiæ quatuor constitutionibus morborum acutorum correspondent.

¶ Cum victus à virtute summatur, quæ si debilis fuerit, parum, & sepè est concedendum, & cum in angina virtus valida reperitur, à victu crasso abstinendum erit, & cum talis victus tenuis, crassus, aut mediocris à viribus indicetur, simili modo à morbo: ob quam causam in principio inflammationis victu tenui utimur, ne roborata virtute inflammatio, febris, & fluxio augeantur in angina. Et est proprium huius affectionis victu tenui uti, nam angina morbus acutus est, ex Galeno, ergo ex Hippocrate tenui victu est utendum, quod docet in 1. aphor. sent. 6.

¶ Est tamen animadvertendum, si hæc affectio cum venenositate, & malitia materie fuisset, aqua frequenter vires dissolvuntur, victu pleniori utimur, ut roborata virtute perdurare possit, ac malignis, & extremis

symptomatibus resistere. Nam ex Hippocra. apho. sent 9. Coniectari autem oportet, an aeger cū victu sufficiat perdurare.

¶ Vteris enim in hoc affectu anginoso iusculis, expulis, elixis, cum agresta aut ordeo decorticato, & ptisana, & lectuca elixa cum saccharo, & aceto, similiter expressionibus ex feminib⁹ frigidis: distillationes ex amygdalis, vulgò *almendrada*: nō laudo in angina, & affectibus biliosis, quia amygdalæ oleosæ, cū sint facilè in coctione bilescunt, neq; oua, quia ab eis sanguis augetur, loco panis vtatur, pane confecto ex saccharo, ouis, & farina, vulgò *vizcochos*: si vero virtus debilitetur, prolongeturq; morbus ob crassos humores, vtatur paciens alimentis maiorem nutritionem, & calorem habentibus, vt sunt carnes arietinæ optimè elixæ.

¶ Abstineatur à vino, nam à Galeno in inflammationibus prohibetur: quia febrem auget, inflammationes, fluxionesq; mouet: bibat aquam ordeatam, nam ex Galeno dertergit, & citra calorem deobstruit: vel bibat aquam decoctam cum radicibus acetosæ, chiorix, aut scorloneræ.

¶ Quamvis ex somno vires reparentur, quia est requies facultatis animalis, ab eo fugien-

giendum erit, nam in inflammationibus maxime nocet, nam ab eo calor intus reuocatur, fluxionesq; intra mouet, & inflammationem auget; quod doctè Gale. docet 2. aphor. commenta. 1. & à docto Vallesio tradditur lib. 1. metho. cap. 13. his verbis dicente; *In morbi præterea, qui cum capitis grauitate, &c.*

¶ Obijciat aliquis nonnè à vigilia immoderata virtus dissipatur, debilitaturque, quia omne immoderatum supra modum perniciosum, ex Hippocrate dicitur, quòd de somno, & vigilia intelligitur, vt ipse met Hippoc. 2. aphor. sentent. 3. Ergo ex horum sententijs somnus laudandus in hoc affectu erit. *Obiectio.*

¶ Respondeo, verum esse virtutem dissipari à vigilijs immoderatis, & in morbis longam habentibus terminationem; non enim in illis, qui breuiter iudicantur, vt in angina: quia hæc affectio breuis cum sit, à somno immoderato, cum maiori impetu caloris, & augmento inflammationis æger suffocabitur. Adde tamen si necessitas dormiendi vrget somnus similitudinem seruet cum anginæ breuitate, nam sicut breuis est morbus, ita se habeat somnus, & sit hora assueta, & duret per spatiũ duarum horarum, & per sex horas in vigiliã reddeat. Quæ doctrina tali affectu est consona, *Solutio.*

De sanguinis missione in angina,
sona, vt docet Matthæus de Gra. & Doctor
de Villarreal.

CAP. VII. De sanguinis missione in angina.

SANGVINIS missio magnū est remediū á quo, si perfectè, & sine errore administretur, salus consequitur: & è cōtra mors, si intempestiuè eo vtatur, necessè est antequam ab eo incipiamus, animadvertere conditiones, & scopos mittendi sanguinē, & maxime in angina, vbi á multis aliquæ difficultates, & obiectiones reperiuntur, vtrū conveniat talis euacuatio, vel non.

¶ Est enim ex Auicen. fen. 4. doctri 5. cap. 20. sanguinis missio vniversalis euacuatio, quæ multitudinem è corpore educit á Galen. 2. aphor. senten. 17. Est euacuatio, quæ indifferenter omnes. Humores euacuat, est utilis in hoc affectu sanguinis missio multis modis, nam euacuat, rebellit, deribat, deobstruit, & refrigerat. Euacuatio enim plenitudini debetur, revulsio fluentibus humoribus, ne in partem aliquam tendant, deribatio humoribus proximis parti affectæ; non dum tamen
illam

illam pertinentibus, deobstruimus enim e-
ducto humore à cabitate, & tandem missione
sanguinis refrigeramus humore calido ex-
tracto: nã sanguinis missio duo præstat bene-
ficia, euaquans per se, refrigerans verò per ac-
cidens.

¶ Prolixum enim erit obiectiones contra-
riorũ scribētium refutare, dicentiũ in angina
ab humore pituitoso, & bilioso, sanguinis mis-
sionẽ nõ convenire. Quorũ doctrina mihi ad-
uersa veritati videtur, nã ab eis desumpta est
à Mesue cap. proprio de angina: quod cõpro-
bant ex Auic. dicēte (superabūdantẽ euacqua,
& postea minue) in quo loco Auicena missio-
nẽ sanguinis non denegat in inflãmationibus
ab humoribus dictis; sed est documētũ in his
sanguinẽ mittere cũ moderatione: quod sem-
per seruandum erit in plenitudine pituitosa,
melancolica, & biliosa. Nã si in dictis humo-
ribus, & præcipuẽ in biliosis vtimur missione
sanguinis in tanta quãtitate, vt in pletora, pe-
riculũ sequeretur, & illud cõmune Auic. dictũ
locum habebit, idest, cabe, ne ægrũ perducas
ad ebullitionẽ colericorum. Vera, & probabi-
lis opinio est, in qualibet angina sanguinem
mittere, nã ex Gale. 4. accur. tex. 19. Sanguinẽ
mittimus in accutis morbis, in quibus proprij

De sanguinis missione in angina,

scopi mittēdi sanguinē reperiuntur, videlicet magnitudo morbi, & viriū robur laborantis: sed angina est morbus accutus, & hęc duo scopi inveniuntur, ergo sanguinem mittimus. Et miror equidem cur ab aliquibus difficultates imponātur, in hoc affectu ad sanguinē mittēdum, cū necessitas vrgeat, tali vtendi auxilio: nā ad hoc sufficit inflāmatio quamvis á quolibet humore incitetur, quod accutē patet ex Gal. 4. de rat. vict. cōmēt. 30. & 21. vbi docet; *In inflammationibus á quocumq; humore dependeant. á sanguinis missionem incipiendū esse.* Est enim alia ratio desumpta á Gale. 2. ad Glau. & 2. & 14. meth. c. 18. dicente; *Fluentibus enim humoribus reuulsio medela est: sed hęc fit per sanguinis missionē, ergo eum mittimus, quia humores fluētes, & fluxi inveniūtur: & quod fiat talis euacuatio in morbo anginoso Gale. demonstrat lib. de cura. rat. per sangu. mis. c. 12. his verbis expressis; Sanguinem minues, multoq; magis si aut peripneumonia, aut angina, &c.* Et non solū mitto sanguinē ob plenitudinē, siue ad vires, siue ad vasa, sed propter inflāmationem incipiētem, & maxime ob dolorē, quia hoc symptoma ad talē euacuationē administrādā sufficit, quod constat ex Gal. lib. de sang. mis. c. 7.

¶ Cum satis, & copiosē à me comprobatū est,

est,

est, in omni angina auxilium mittēdi sanguinem convenire: restat nunc vt agā á qua vena talis euacuatio fiat; & pro prima ratione affirmo sanguinem mittere ex vena, quæ consensum habeat cum parte læsa, sed vena, quæ hūc consensum seruat in passionibus gutturis, & capitis est cephalica, ergo eā seccabim⁹; quod abundat á Gale. lib. de cur. rat. per sang. mis. c. 18. his verbis dicente; *Euaquabitur porrò id optimè per Venas deductas ab his, quæ in partibus ipsis sunt sitæ.* Fiat enim sanguinis missio ex cephalica, humerali, aut vena externa cubiti dicta, & ex parte rectitudinem seruante: non ex cōtraria, quia beneficiū nō cōsequeretur, nisi improbè, & post longū tēpus. Et cum in angina vrgens sit affectus, terminusq; breuis, necessè est breuiter euacuare, rebellere, ac deribare: quod erit impossibile si rectitudo á nobis non seruetur, quæ doctrina in sãguinis missione semper amplectenda erit, vt constat ex Gale. lib. de sang. mis. c. 15. & 14. dicente, *Quæcumq; sanguinis eruptiones secundum rectitudinem fiunt, maximam egrotantibus commoditatem afferre. Et si cōtra Venam secces, nullum sequetur commodum.*

¶ Est tamen animadvertendum, si in principio plenitudo vrget, quam cognosces ex rubore faciei, & oculorū, amplitudine venarum

De sanguinis missione in angina,

& carnositate: est Gal. lib. de plenit. & de sang. missi. sanguinem detrahes ex vena media, & deposita plenitudine mox ad cephalicam red- des, vt á parte affecta euacuatio fiat. Quãtitas sanguinis summatur extollerãtia virtutis, & ætate, non enim talis euacuatio vnica vice, & in magna quãtitate administretur, ne pulmo in refrigerationẽ deueniat, & ad se materiam inflammationem faciẽtem trahat. Fiat enim sanguinis missio, plurimis, & partitis vicibus, cum aliqua intermissione vnus, vel duarum horarũ, & pro qualibet vice ne trahendas quã- titatẽ trium, aut quatuor vnciarũ, nã melius est vt flobotomiæ vices sint multæ, quã ipsius quantitas sit multa: ex Gal. 5. meth. c. 3. quod affirmat Auic. Deposita enim plenitudine, & fluxione venas, quæ sub lingua sunt seccabi- mus, vt á parte fiat euacuatio, quæ habet lo- eũ, & similitudinem cũ topico remedio, quo non in principijs vtimur: quę curatio ab Hip. docetur 4. de rat. vict. sent. 30. & Gal. in cõm. istius loci sic disputat; *Venæ, quæ sub lingua sunt, eam quæ faucibus est flegmonem sine medicamẽtis va- cuant, præcipuẽ enim hæc sectiones leonicarũ venarũ, quæ sub lingua sunt, magni momenti erunt, maxime si angina ortũ habeat atenui- tate humorum, quia humores tenues, ex ipso*

met

met Gal. loco citato in dictis venis continetur. Si vero incitetur talis affectus ob crassos humores minimè talis euacuatio convenit, nam crassities, quæ in parte affecta reperitur, minimè per istas venas euacuatur: quod patet ex Gal. 4. de rat. vict. cōment. 30.

¶ Dices enim si nō apparet in brachio partis affectæ vena cephalica, aut ob ministri errorem venā seccatis, pars flegmonicetur, quæ vena seccanda erit? Nam si cōmunis seccatur, non euacuamus, sed rebellemus propter longitudinē venarum à parte affecta; quia revulsio, quæ debetur humoribus fluētibus, nō illis qui iam fluxi sunt semper à parte longinqua fit: sed hæc angina non oportet, & convenit sāguinē mittere, servata rectitudine; ergo est dubium à qua vena sanguinis missio fiat.

¶ Respondeo, in tali fortuna seccabimus venam mediā eiuldem lateris, nam rectitudo semper servanda erit, vt Gale. 13. meth. c. 11. asserens de flegmonibus oris, & passionibus superiorum his verbis docet; *Pari modo venam quoq; ubi hac partes sic laborant incidere humeralem in manu, si ea non cernitur mediam.* Nam cum hac euacuatione venæ mediæ, non tantum rebellemus, sed simul euacuamus: & est animadvertendū hanc euacuationē ex vena cōmuni,

De sanguinis missione in angina,

esse debere in maiori quantitate, quam ex cephalica, nam hac ratione à venis longinquis rebellimus, & euaquamus simul: si extractio sanguinis viribus consentientibus in multa quantitate fuerit: quod apparet à Gale. lib. de sang. mis. & lib. de sect. venar.

Quomodo euacuatio à parte longinqua.

¶ Vt imur deinde cucurbitulis, & dolorificis ligaturis, tepidisq; fomentis partium inferiorum, vt materia diuertatur. Modo cucurbitulæ sint cum scarificatione, modò absque eà, cum scarificatione quando virtus debilis apparet, & intendimus aliquid rebellendo foras educere. Sine scarificatione, vt diuertamus, & doloré sedemus, quæ omnes utilitates in administratione cucurbitularum inveniuntur: ex Gal. 3. de loc. affec. c. 4. & 13. meth c. 6. Sint ergo dispositæ in scapulis, natibus, & in partibus inferioribus.

¶ Notandum tamen est, his non vt imur in morborum principijs, sed quãdo iam corpus euacuatũ fuerit, & maximè quando amplius non fluit, quòd doctè à Gale animadvertitur lib. de cucurb. c. 3. dicente his verbis; Cucurbitæ præ euacuatīs corporibus cōmodè sunt, in repletis enim non vt imur ipsis, &c. Quando adest magna difficultas spirandi, & diglutiendi, album duces forti clistere, aut glande, postea verò duabus

cucur-

cucurbitulis in collo positis cū scarificatione Cucurbitu
 vtor; ex quibus iter salutis laudabile inveni: *la in collo*
 quia maximè ab his materia deribatur, eua- *cum scari-*
 quaturq; , quæ inventio ab Auic. tradditur, & *ficatione*
 præcipuè à Gale. lib. 6. de comp. medicam. se- *laudanda.*
 cundum loc. c. 2. super archiginem his verbis
 asserente; *Cucurbitæq; cum scarificatione collo affi-*
genda. Auertunt enim clisteres, non admodū
 acres, & præcipuè quando non vrget suffoca-
 tionis periculum suaues erunt, quæ conficiun-
 tur ex decoctionibus malvarum cum mercu-
 riale, & cōfetione benedictæ. Quibus in prin-
 cipio vtimur, & in quouis alio tēpore, in prin-
 cipio antequā sanguinis missio fiat, vt excre-
 menta in prima regione detenta euaquentur:
 nā alioquin sequeretur impleri venas ex hu-
 moribus crassis, viscis, & lentis, vt Gale. docet
 9. meth. In quouis alio tempore clisteres pa-
 ramus, vt materia diuertatur, euaqueturque,
 quòd omne cōstat ex Gal. 4. de rat. vict. cōm.
 30. dicente; *Corpus igitur totum vena secta vaquari*
oportet, & purgatione, & clisteribus: & maximam
 vtilitatem secum clisteres portant in ægrotis
 anginam laborantibus, præcipuè quando ob
 copiosam sanguinis missionem imbecilli red-
 duntur, quod apertè Hippocrat. docet in 4. de
 accutor. morb. sent. 20.

CAP. VIII. De purgatione in angina.

ALIIQVI in principio anginae à medicamento purganti fugiunt, dicentes medicamentum hoc fluxiones, & inflammationes in principio mouere. Aliqui enim non purgare affirmant, quia proprium est pharmaci purgantis ad intra humores reuocare antequam foras expellantur: & in illo spatio in aliquam partem principem tendere possunt. Multi enim respectu febris non purgare audent, sequentes illam sententiam Hippocratis, & Galeni dicentium (quicumq; igitur à febris fortibus corripuntur, his medicamenta purgantia dari non oportet, donec remiserit febris) quæ omnium sententiæ nil in hoc casu utile habent; & ad primam eorum rationem respondeo, verum esse fluxiones, & inflammationes mouere, purgans medicamentum in principio anginae, eo quod intempestiue, eo vtuntur: non enim quando directè, & revulsionis gratia humoribus fluentibus administratur, vt infra probare existimo, maxime conuenire, nam à medicamento purganti consequeretur magnū beneficiū in anginae inicijs.

Ad

Ad secundam rationem dico, medicamentum purgans ad intra humores mouere, non tamē in breui spatio ad partem principem tēdunt: quia sunt in via, vt ad extrā expellantur, & in principio natura est robusta, & simul cū medicamento materiam fluentē in principio anginae breuiter expellit: ob quam euacuationē ipsa met natura deoneratur, & deonerata melius se habet. Ad tertiam, & vltimam rationem affirmo febrē in angina minimē purgationem impedire, quia est symptomatica, & sedata inflammatione sedatur febris: & quādo Galen. & Hippoc. locuti fuere (de febribus fortibus) in quibus medicamenta purgantia donec remisserit febris taxantur; intelligendū erit de febribus putridis, in quibus humores dissimiles sunt in qualitate, & in substantia, nam in his donec cocta materia fuerit à purgatione abstinemus. Et pro secūda istius loci solutione addo, nam supposito, vt febris sit fortis, rectē purgabimus in principio, præcipuē quando materia ad modū turgentiae irritatur, & mouetur: nam medicari in valdē acutis eadem die si materia turget conuenit; & in his tardare, pessimum est, ex Hipp. 4. apho. apho. 10. Et minimum periculum est in morbo acuto yti purgante medicamento, quod

I docet

docet Gal. 1. apho. cōmen. 24. At tamen medicamenta purgātia in hoc affectu, & in principio suauiā esse debent, & nullam vim naturæ inferentia, quæ tripliciter euacuant, leniēdo, lubricādo, & comprimendo: vt casia fistularis, mannā, tamarindi, rabarbarū, correctum, & sirupus rosarum solutibus, & alia huiusmodi, & si Gal. & Hippoc. affirmauerunt (donec remiserit febris) non uti medicamentis purgantibus, intelligitur de medicamentis tēpore Hip. & Gal. vsitatis: quæ in suis antiquis temporibus, calidissima & venenosa erant, at veró in nostris, suauiā sunt, & suauius euacuant: quibus in quocumq; tempore sine periculo utimur.

¶ Relictis enim opinionibus constanter affirmo in principio anginae deposita plenitudine, sanguinis missione, semper purgandū esse: quòd rationibus, & auctoritatibus in hūc modū probo. Purgatio enim debetur humoribus qualitate peccantibus á Gal. 13. metho. c. 5. 6. & 22. & lib. quos purg. cōve. sed humores anginae, aut morbum suffocantem faciētes qualitate peccant, id est, vstione, malignitate, calore, & crassitie, quæ qualitates conspurcātes sunt humores, facientesq; cacochimiam; ergo his debetur expurgatio. Est aliud argumentū,

mentū, revulsio debetur humoribus fluētibus in guttur, fauces, & gulam; sed hæc optimè fit per euacuationē purgantis medicamēti, ergo purgabimus in principio, maior est vera, & minor patet á Gal. 13. metho. c. 22. his verbis;

At morsum quidem tum purgantibus medicamentis, scilicet, & deorsum rebellendo, & vaquando curare cōuenit. Et maximè, & breui tēpore purgabimus si fluxio humoris biliosi, aut aliorū humorū extra sanguinem ad superiora tendat: quod doctè animadvertit Gal. lib. quos purg. cōve. c. 4. dicens; Nam si ad superiora humores inclinauerint, purgantis medicamenti efficaciam impeditur. & ex Hipp. 2. apho. sent. 29. hoc apparet; Cum morbi inquoant si quid tibi videtur, mouendi moue: ergo rectissimè mouebimus in principio angine, quia morbus acutus, & breuis est, in quo si finē status ad purgādū spectemus, sequeretur ex acrimonia, & humoris copia, erosione, malignitateq; vlceris: paciētem in magnam suffocationem deuenire. Quod præcauemus in acutis purgatione in principio facta, & præcipuè quādo est timor in statu naturam defficere, obsarcinam malignam redundantis materiæ.

¶ Est tamen animadvertendū, quando in angina humorū corruptela, sanguini non est permixta, nisi separata, & in motu ad partem

affectam tum rectè purgatur, vt Gal. affirmat lib. quos purga. conv. cap. 2. & vt in maiorem lucem eueniam, dico semper in qualibet specie anginae antequam medicamento purganti vfi sumus, necesse erit prius sanguinè mittere, ob plenitudinem, & sanguinis permixtionem: quod omnes affirmât, & præcipué Gal. 4. de rat. vict. côm. 30. Quod docet Celsus, & Tralianus enim idem affirmat: & alij, & multitudine copiosa. Si angina cronica fiat, & notha ob materię crassitudinè, & ipsa sit quieta, & facta, imbibitaq; in partibus sine præparatione, & mollificatione, nullomodo purgabimus; nam ex Hippo. (vbi quis corpus purgare voluerit, oportet fluida facere) quòd Gal. confirmat lib. quos purg. conv. c. 5. & ex Hipp. 1. aph. sent. 22. (cocta medicari oportet moueri non cruda) notandum tamen est antequam pharmacum sit tribuendum cōsiderare tene- mur, humoris redundantiam an peccent quã- titate, an qualitate, an tenues, aut crassi sint, & in prima, secunda, aut tertia regione. Nam varia materia in varijs partibus contenta, di- versos modos purgationis postulat, quã doc- trinã à Gal. desumptã, doctè tradidit Ludoui- cus Mercado in sit. 6. de purgatione.

¶ Medicamenta accōmodata in angina ab humore

humore bilioso sunt medula fistularis cassiæ & tamarindorum pulpa sirupus rosarum solutibus, valent etiam in prædicto humore, electuaria diaprunis simpli. diacatoliconis, & alia huiusmodi benigna. Si verò materia mixta fuerit ex bile, & pituita, euaquetur electuario diacatoli. & diapheni. simul, & agarico in pauca quâtitate, ne ex immoderata ventriculus, nausis, & vomitibus incitetur.

C A P. IX. De topicis auxilijs, & curatione pustularum in angina, & maxime de gargaris.

MULTA noxiosa inveni, & consideravi in administratione medicamentorum repellentium in gargaris: nã quidã in principijs anginæ eis venæ vtuntur, quidã verò pessime in alijs temporibus, & præcipuè quando cruste apparent, in qua fortuna, & quando iam est vlcus, si eis vsi fuere, perspicuum est maxime errare: quibus auxilijs indoctè applicatis, multi cõmittantur cum morte. Ob hãc causam medicum valde

De topicis auxilijs, & curatione pustularum,
solicitem esse debere in administratione horum repellentiũ medicamentorum, & vt recte administrantur eorum naturam cognoscere: quod docet Gal. 6. de comp. medi secundum loc. ca. 1. his verbis; *Impossibile enim est pharmaco ritè vti eum, qui vim ipsius non noscit; iuxta cuius efficitia auxiliatur.*

¶ Est enim medicamentũ repellens, quod partem confortat, & ardorem, dolorẽ, & inflammationem mittigat; & humores in particulas cõtectos trudit. Sunt enim aliqua medicamẽta repellẽtia, quæ sola frigiditate pollẽt, vt aqua frigida, semperbiba, portulaca, &c. quæ magis à medicis densantia dicuntur. Sunt enim alia fortiora, vt mandragora, cicuta, &c. quod genus pharmacorum repellẽtium in principio inflammationũ, in refrigerantium materia sitũ est, vt refert Gal. lib. & cap. citato.

¶ Vera enim medicamẽta repellentia, quæ in grauibus affectionibus cõueniunt, frigida, & abstringẽtia esse debent: quibus in angina vtimur, vt eorum astringitione pars corroboretur, ex Gal. 5. simpli. c. 16. & 6. simpli. c. de centaurea, & 9. simpli. c. 1. & lib. 3. c. 17. Oportet astringentia esse, nam ipsorum proprium est munus contrahẽdi, constipandi, & substantiã nostram condensandi: quod tradditur à Ludouico

douico Mercado lib. 2. insti. 9. Cōuenit enim medicamentū repellens in principijs inflammationū, nam ab eo fit translatio materiæ ad alias partes, ex Gal. 3. metho. c. 9. quo utimur tum ad firmandā partem ne recipiat, tum ad roborandam, ut pellat. Quæ repulsio debetur, non tātum anginis ab humore calido hortic, sed á quolibet alio: est Gal. 13. metho. ubi docet repellendū á capite, quemlibet humorem esse. Semper enim in principijs inflammationum repellentia mera adhibenda sunt, quia plurimum fluit, ex Gal. 13. metho. c. 5. & 6. de compo. medic. secundum loc. c. 3. & 6.

¶ Est tamen animadvertendum, non semper in principijs, & in quolibet humore repellentibus utimur, nā ab eis abstinemus, quādo inflāmatio, vel aliquod apostema, per terminationē alterius morbi iudicatur, & præcipuè quando materia est venenosa, & ab eis fugiendum erit in materia crassa, repulsioni inobediēte: & maximè quādo locus affectus alicuius partis principis, expurgatoriū est; sic enim, & in emutorijs. Ob hanc enim causam delirāt illi, qui in partibus externis colli, repellētib; utuntur; eo quòd collum est emutoriū: similiter, & in parte principe, & quando humor ad cutim terminatur, ut in facie, nam ex
 repel;

repellēt iſequeretur humorē cēdi ad internā.

¶ Solent aliqui in angina, & in initijs inflā-
mationis antequā ſanguinis miſſio fiat, gar-
garis repercusiuis utriusquorū doctrina peſſi-
ma eſt, nā ad partes principes, & ad pulmonē,
humores trūdūt, & æger ſalutis loco cum ſuf-
focatione obiit. Et ita nullomodo ſine corpo-
ris euacuatione hoc erit adminiſtrādū, quod
docet Gal. 3. artis parvæ dicens; *Corpus plenum
exiſtens, repercuſionem non recipit.* Et ex Meſue di-
cēte; *Repercusiua ſine corporis euacuatione ſuſpecta
ſunt:* ergo ex his primariæ euacuabimus, poſ-
tea verò in adminiſtrationē repellentium de-
beniemus.

Obiectio.

¶ Dices enim angina eſt morbus breuis, &
breuiter eam curamus, & humorem repercu-
timus fluentem antequam in parte quieſcat;
& tumorē ſuffocātem faciat: ſed hoc breuiter
nō fit, ſi prius ſanguinem mittimus, ergo vte-
mur repellentibus antequam talis euacuatio
fiat.

Solutio.

¶ Reſpondeo, quamvis breuis ſit curatio,
mittēdi ſanguinem eſt locus, & poſtea repel-
lendi: nam in duabus, aut tribus horis ſangui-
nem mittimus, & plenitudine depoſita repel-
lentibus utimur. Et quāvis ab eis per aliquod
ſpatiū abſtineamus, per ſe ſola ſufficit miſſio
ſanguis

sanguinis ad humores fluentes euacuandos; & per accidēs ad partem calefactam refrigerandā, vt in c. de sang. missio. docui Ratio huius doctrinæ est, ex qua à repellentibus fugiendum erit, sine corporis euacuatione: nā si proprium medicamento repellentis est, vt satis probaui humores trudere, & repercutere in particulas contentos, ad venas vnde orti fuerunt: si venæ sunt plenæ, quomodo ingredi possunt, ergo necessè est humores tendere ad partes principes, ob venarum plenitudinem: & sic consentaneum est primariè venas euacuare, nam vacuæ, & inanitæ cum sint ab ipsis humores validè trahuntur: & proiecti cū sint a vi repellentium, ab eis accipiuntur.

¶ Nō est hoc loco disputandi occasio vtrū humor extra venas in parte inflammata, vi medicamentorum repellentium ad ipsas reuertatur: nam reuertit ex Gal. 13. meth. & lib. de Optim. sect. ad Trasi. & lib. art. med. dicēte; *Id fieri tutius cū corpus vacuum fuerit, & reuulsio nibus vsus fueris, quia tunc humoribus impulsis subest via, & locus liber.* Et hoc ipsum docet D. Merca. lib. 2. de administr. repel. c. 9. his verbis; *Præstandumq; donec delapsa materia in venis à quibus emanant, iterum recipiatur.* Quod multis exemplis Gal & aliorum inuenies.

De topicis auxilijs, & curatione pustularum,

¶ Quo supposito utimur in principio inflammationum medicamentis repellentibus refrigerandi, & astringendi vim habentibus, in gargaris, donec gargarę incalescant: quas ego dispono sic paro. Rec. Lentium, & ordeï decorticati. an. P. j. solani, & plantaginis. an. M. j. ex his decoctio fiat 2. artē, de qua accipe librā j. cui adde dianucum, & diamoronis. an. vnc. ij. sip. granatorum vnc. j. misce. At tamen si materia est fluens, & aliquantulum fluxa, in gargaris utendum erit, cum repellentibus medicamentis dissipantibus, & resolventibus: quorum vix proportioni materię delapsę, & fluētis respōdeat: in qua fortuna his gargaris utor. Rec. ordeï decorticati P. j. plātaginis, & lactucę. an. M. j. chamomilę. ms. ficorum num. vj. liqueritię rasę vnc. s. fiat decoctio, de qua accipe lib. j. cui adde diamoronis, & dianucum an. vnc. j. & s. rodomelis vnc. j. sip. liqueritię, & granatorum. an. vnc. s. misc. Adverte enim in principio omnia esse repellentia, in augmēto tres partes repellentium, discutiētiumq; vna, in statu verò sint partes æquales, in declinatione tandē omnia resolventia.

¶ Est tamen advertendum quando crustę suffocantes apparent, sub quibus vlcus manifestatur, á medicamentis frigidis in gargaris absti-

abstinendum erit, nam crustas, & materiam indurant: & omne vlcus tersionem, & deficcationem indicat, quod non fit á frigiditate repellentium. Utendum pro gargaris est medicamentis calidis, & humidis moderatis, ne cū magna caliditate inflāmatio cum vlcere augeatur. Utimur enim decoctionibus tepidis malvarum, altheę, & camemali, cum saccharo, vel decoctionibus florum cordialium, cū rodomele, & aceto albo rosato, nam cum moderatione deficcant: quibus duę complectuntur indicationes, videlicet malignitatis retusio, & crustę laxitas, & mollitio. Laudanda est in hoc casu aqua mulsa, actu calida gargarisata, quam cōfitio ex parte vna mellis, & quatuor aquę dulcis, & decoquatur donec spuma non appareat: ad verò si durities in parte vlcerata, & pustulis reperiatur, mollia sint medicamēta.

¶ Fugiendum enim erit á medicamentis morsionē facientibus, ne magis irritent, & de nouo fluxio incitetur. Mulsa enim sine morfu detergit, ex Gal. 13. meth. c. 14. dicente; *Ad verò ab his vtpotè mordentibus flegmonem irritantur, quare quę citra morsum detergāt indigemus, cuiusmodi mulsa est. Optimum detergens, & crustam dissipans est illud, quod à Gal. lib. 6. de compositi.*

De topicis auxilijs, & curatione pustularum,
med. 2. lo c. e. 3. cōficitur ex decoctione origa-
ni cum sapa, & mulsa, quo vtor in pustulis, &
viceribus faucium cum felice successu.

¶ Sunt aliqui medici, & chirurgi incōside-
rati, qui cum primum vlcera, & pustulæ appa-
reant, statim vlceratas, & pustulatas partes tā-
gūt, vnguētis causticis, vt egeptiato, à lumine
vsto, sublimatoq; , & pulveribus Ioannes de
Bigo, & similibus venenosis, & metallicis me-
dicamentis: à quibus partes maximè erodun-
tur, mordenturq; , & ratione immoderatæ ca-
liditatis, & ipsorum siccitatis, pustulæ magis
indurescunt: quorum veneno ventriculus affi-
citur, ob ipsorum resudationē: quòd curatio-
nis iter tanquam perniciosum reijciendū erit,
quòd à Gale. 13. metho. c. 19. constat dicente;
*Medicamenta metalica, & partem erodentia, laudāda
non sunt præcipuè in partibus vbi deborari possunt. Et
idem affirmat ipse met Gal. loco citato, c. 20.
his verbis; Verum hæc medicamenta noxia deborata
sunt, quo circa stomaticis ea miscere tantum non est. Et
quamvis crustæ in faucibus internis, aut ex-
ternis libideq; appareant ob incommoditatem
loci, & alia noxiosa, quæ sequerentur, à causti-
cis auxilijs ignem inducentibus abstinēdum
erit: quòd à Gal. manifestum apparet 6. apho-
cōment. 38. dicente; Et quidem scio, omnesq; bu-
iusmodi*

iusmodi caneros curare tentarunt magis illos irritasse, breui hominis intermisisse, & qui cancri impallato cōstituant.

¶ Dices curatio canerorū á Gal. 2. ad Glau. *Obiectio.*
 c. 7. & 11. & 14. lib. meth. c. 13. duobus modis fit; primó, per abscisionem tumoris; secundò, vrendo radices eorū: ergo hoc intentādū erit in vlceribus, & pustulis suffocatiuis pallati, & faucium. Quia hęc vlcera cum ab humoribus crassis, adultisq; causentur, naturā cācerosam seruant. Respondeo, in his locis supra citatis, Gal. locutū fuisse de cācris externis, in quibus *Solutio.*
 facilitas extirpādi, & vrēdi invenitur: at verò in pustulis dictis fauciuū, hoc non cōvenire videtur: quia partes affectæ absconditæ sunt, & maximé sensiles, & á ferro, & causticis medicamentis eroduntur, & irritantur; tū enim ob locorū incōmoditatē, quod Gal. docet 6. aph. comment. 38.

¶ Ego enim in tali casu, & pustulis, & vlceribus apparentibus, multos in sanitatē restitui, fugiens á causticis medicamentis infra dictis, tantū instituens in curatione gargarismata confecta ex rebus emollientibus, & detergētibus, vt sunt, quæ conficiuntur, ex decoctione origani, & camemali, cum mulla á Gal. laudata, quia crustas detergit, vt patet in

De topicis auxilijs, & curatione pustularum,
6. de cōpos. med. 2. loc. c. 3. Deinde vitus ab-
tergo decoctione ordeicū rodomei, qua me-
thodo felices successos inveni.

Plūstatu enim; & maximē quando vrget
difficultas respiciendi, debeniendū erit in ad-
ministratiōe discutientiu, resolventiu, & ad
extra medicamentorū atrahentiū: quæ magni
momenti sunt ad vlcerū curationē. Sūt enim
emplastra, vnguēta, fomentaq; calida in par-
tibus externis colli applicata: vt oleū came-
mali in lana imbibitū, emplastrū ex malvis,
parietaria, came malo, & aliorū, vt infra osten-
dam: in quo emplastro vtor pulveribus excre-
mentorū hirundinū, non enim ex ipsorū nido,
vt aliqui vtuntur, quia medicamentū repellēs
est, eo quod ex terra cōstituitur; ergo in collo
nō est applicandū, nam à Gal. lib. 6. de cōpos.
med. 2. loc. sentē. 14. mentio non fuit facta de
nido terreo, nisi tantū de hirundinū excreme-
tis, dicēte; *Pallā est autē acre, & discusoriū hoc phar-
macū esse, ex hirundinū excrementis cōstans, &c.* Ab
Andromaco cōficitur emplastrū ex cinere hi-
rundinū recētiū, vt Gal. lib. & c. citato, & in c.
15. & 16. ex doctrina Asclipiadis. Nullo enim
modo cōficitur ex toto nido à Gal. ob virtu-
tē repellētē: ergo medici decipiūtur eo vtētes,
dupliciter errantes; primó, quia ex toto nido
conf-

constituunt, secūdo, quia in quouis tēpore eo
 vtuntur, non animadvertētes tēpora inflāma
 tionum, & absq; methodica cōsideratione, in
 quouis tēpore, & maximè in principijs hoc ni
 do vtūtur, & alijs topicis auxilijs aduersus ve
 rā doctrinam, & cū patientis periculo, in ani
 mum tantum habentes, vulgò satisfacere.

¶ Hoc emplastrū in forma à me infrā trad
 dita in declinatione administretur, nā ab eo
 magnū cōsequeretur beneficiū, quia ad extra
 trahit, resolvitq;, & æger miraculosè respirat,
 vt satis à me expertum est, cuius descriptio sic.
 paratur. Rec. folio. pariet. malv. came. & rosa
 an. P. j. rad. malvabilci. m. j. pul. extercoris hi
 rundinū, & ipforū cineris. an. vnc. s. caricarum
 pinguum num. iiii. fiat decoctio, & deposita
 aqua omnia in mortario tractentur, & adde
 olei came. vnc. j. olei ros. vnc. s. butiri recentis,
 & farinae ordeï. an. vnc. j. cum decoctione præ
 dicta misce. & fi. empla. Et hæc de hoc capite,
 & toto tractatu sint dicta, in laudem Omni
 potentis Dei, & immaculatæ Virginis
 Mariæ, necnon D. Laurentij mei
 advocatus. Anno nostræ
 salutis 1618.

